


MONS MYRRHAE, SEU BREVIS INSTRUCTIO DE SACRAMENTO...

Georg Biegeisen











VADAM AD MONTEM MYRRHAE.
Canticor. 4.

MONS MYRRHÆ,

SEU

BREVIS INSTRUCTIO

DE

SACRAMENTO

POENITENTIÆ

AUCTORE

P. GEORGIO BIEGEISEN,

SOCIETATIS JESU,

D. D. SODALIBUS ACADEMICIS

E QUATUOR

INCLYTIS FACULTATIBUS

SUB TITULO

B. V. MARIÆ

IN COELOS ASSUMPTÆ,

IN

CÆSAREO, ET ACADEMICO

Soc. Jesu COLLEGIO

VIENNÆ AUSTRIÆ CONGREGATIS

IN STRENAM OBLATUS,

ANNO SALUTIS M. DCC. LI.

SODALITATIS CLXXII.

REVERENDISSIMO,
PERILLUSTRI,
AC
MAGNIFICO
DOMINO, DOMINO
FRANCISCO
ANTONIO ZEISLER,
AA. LL. & Philoſophiæ Doctori,
Metropolitanæ Eccleſiæ ad S. Stephanum
CANONICO
CAPITULARI,
CELEBERRIMÆ, ET ANTIQUISSIMÆ
UNIVERSITATIS VIENNENSIS
NEC NON
MAJORIS ACADEMICÆ
E QUATUOR
INCLYTIS FACULTATIBUS
CONGREGATÆ SODALITATIS
RECTORI
EMERITO,
PATRONO SUO
GRATIOSISSIMO.

REVERENDISSIME,
PERILLUSTRIS,
AC
MAGNIFICE
DOMINE, DOMINE
SODALITATIS
RECTOR
EMERITE!





Um præsentes paginas Nomini TUO *inscribimus, haudquaquam* TUO *vel indignum ho-*

)(2 *no-*

nore, vel a nostro quidquam alienum officio suscipimus. Equidem humiles, fatemur, illæ sunt, neque Tuis *adeo meritis pares; at vel inde magnificæ, quod* Tibi *in tributum veniant, cui tot pulcherrima virtutum exempla debemus, quod sint nostræ in* Te *observantiæ argumentum non omnino nullum. Et vero quod vel sibi felicius, vel votis nostris optatius nomen delegissent, quam id, in quo uno jam olim pulcherrimarum virtutum ideam non tam fastis suis, quam Sodalium animis descripsit*

pie-

pietas MARIANA, *quæ sic* TE *ornat, atque illustrat, ut plus longe, quam cætera decora, quæ sane non pauca, in* TE *ornamenti ac lucis refundat. Nobis certe illa domestica est, quorum ob oculos sua luce obversatur continuo,* TUISQUE *exemplis pulcherrimis ad sui studium, & amorem accendit. Vidimus dicatis Virgineæ Matri diebus, iis præsertim, quos nostra sibi Sodalitas peculiares habet, juratum ad Virginis vexillum Ducem invariata vultus affabilitate, modestaque animi*

*demissione præeuntem; suspe-
ximus inter destinatos* MA-
RIANIS *Conventibus Odæi no-
stri parietes, quos* TUA *sæ-
pius condecorasti præsentia,
singularem* TUUM *orationis
ardorem; summis denique
laudibus prosequuntur, ac
vero etiam testabuntur eum
posteris fasti nostri, ac An-
nales Parthenii, in quibus
Nomen* TUUM *legetur nun-
quam sine virtutum omni-
genarum comitatu, sine pe-
culiari* TUÆ *in* MAGNAM
D E I GENITRICEM *pietatis
commendatione. Felicem
sane cœtum nostrum, qui*

tan-

tanto Rectore gloriatur, ut sanctioris vitæ præcepta hauriat, non illi opus audire, sed videre, siquidem non tam loquendo instruis, quam vivendo. Quid jam dicemus de magnæ mentis scientiarum omnium cognitione imbutæ decoribus, de innato omnibus benefaciendi studio, de ardentissimo Divinæ gloriæ augendæ zelo, de indefessa rerum sacrarum promovendarum cura, & industria? quid TUAM in consiliis suscipiendis Sapientiam, providentiam in exequendis memoremus? hæ-

rent

rent hæc in animis, in cordibus Ordinum omnium, in conspectu sunt magis, ac verbis adornari possint. Sane quot olim, seu dum munus Rectoris Magnifici in universa hac doctrinarum omnium, & scientiarum Sede celeberrima pro dignitate sustineres, seu dum Inclytæ Facultatis Philosophicæ Decanum ageres, quot inquam Artium quarumque præstantissimarum Doctores sub signis censueras, totidem velut Laudum TUARUM *facundos nactus es Præcones, qui omnigenam eruditionem*

TU-

TUAM, *Divinarum æque ac humanarum rerum cognitionem, ſcientiam, & in literas præcipue, literatosque amorem ſummopere demirabantur. Nempe recondita nequaquam eorum eſſe poteſt ſapientia, quos præſtituta vitæ ratio non uni ſibi, ſed Patriæ bono, animarumque ſaluti deſignavit. Atque hæ, aliæve animi* TUI *dotes, hæc virtutum decora ſunt, quæ eam, qua refulges, honoris amplitudinem in Republica Eccleſiaſtica attulere, hæc ſunt, quæ ampliora deinceps Nomini* TUO

aſſun-

affundent, quæque omnia pro nostra etiam in TE *observantia atque amore precamur*

REVERENDISSIMÆ,
PERILLUSTRI,
AC
MAGNIFICÆ
DOMINATIONI
TUÆ

Devinctissimi Sodales
e quatuor
INCLYTIS FACULTATIBUS
CONGREGATI.

I.

PARS

DE

PRÆPARATIONE

AD

CONFESSIONEM.

I.

Memoriâ memor ero, & tabeſcet in me anima mea. *Thren. c. 3. v. 10.*

II.

Duplici contritione contere eos. *Jerem. c. 17. v. 18.*

III.

Dixi: nunc cœpi. Hæc mutatio dexteræ Excelſi. *Pſalm. 76. v. 11.*



CAPUT. I.

De Examinatione conſcientiæ.

I.

PRæparatio & Examen ante Confeſſionem iis, qui rariùs confitentur, (a) & ſæpius incidunt in gravia peccata, neceſſarium eſt, adeo, ut ſine hoc ſe exponant periculo ſacrilegæ confeſſionis, ex defectu integritatis: (b) Illis verò, qui ſæpius confitentur, & à gravibus peccatis abſtinent, licèt haud ita neceſſarium ſit, utile tamen eſt, & facilè omitti non debet. Cùm

 enim

(a) Vaſquez. in 3. p. tom. 4, q. 92. a. 2. & 3. (b) Conink. in 3. part. dub. 9. n. 72.

enim Confeſſio ſit res magni momenti, non oportet ea in re negligentem eſſe, atque incurium.

II. In peccatorum inquiſitione non requiritur ſumma, ſed (c) ſufficit moralis quædam diligentia; qualem nimirum adhibere ſolent homines in rebus ſuis magis arduis, ac ſeriis. Ad hanc diligentiam ſpectat, ut ille, qui ſe examinat, ſolerter diſpiciat de ſpecie & numero peccatorum mortalium.

III. Non eſt autem neceſſe, (d) imò nec conſultum, omnia peccata venialia ſecundum ſpeciem ac numerum nimis ſollicitè ad Confeſſionem inſtituendam colligere: (e) ſed hoc optimum conſilium eſt iis, qui mortaliter non delinquunt, ut illa venialia peccata, quæ animos ipſorum magis gravant, & à quibus liberari deſide-

(c) Scotus. in 4. d. 17. quæſt. art. 2. (d) Layman. l. 5. tr. 6. c. 5. §. 15. (e) Breſſerus. l. 6. de conſ. cap. 7. n. 70. & c. 8. n. 80.

desiderant, novo concepto dolore, & emendationis proposito cum humilitate aperiant.

IV. An examen præmissum ad validitatem Sacramenti fuerit sufficiens, quidam hanc regulam tradit. (*f*) Si post Confessionem plura peccata mortalia memoriæ occurrunt, quàm in confessione dicta sunt, examen non fuit sufficiens, & confessio est iteranda. Si autem occurrunt multò pauciora, examen fuit sufficiens, & confessio non est iteranda, sed satis est, confiteri peccata antea in confessione omissa, & negligentiam, saltem ad cautelam.

V. Nemo tenetur peccata sua scripto annotare; (*g*) quibusdam tamen utile est, hoc facere. Qui peccata sua facilè atque expeditè è memoria potest dicere, bene agit, si illa scribere omittat: qui verò con-

(*f*) Nugnus. in 3. part. tom. 2. q. 9. a. 1.
(*g*) Bonacina. de Sacram. d. 5. q. 5. sect. 2. pun. ult. n. 6.

confeſſiones ſuas ſcribit, cavere debet, ne ſchediasmata illa per incuriam perdat, propter periculum infamiæ propriæ, & occaſionem peccati alieni, quod ſacilè ex lectione talis ſchedæ inventæ committi poteſt.

VI. Qui in confitendo frequentes ſunt, (*h*) & exercitati, non indigent ordinariè catalogo ſcripto vel impreſſo peccatorum, ex quo conſcientiam ſuam pro facienda confeſſione examinent: utile tamen eſt, talem catalogum ſemel aut ſæpius legiſſe; unde talis etiam infrà (*i*) ponetur.

VII. Quemadmodum peccata ſine ordine fiunt, (*k*) ita de ordine narrandi ea in confeſſione plùs juſto ſollicitum eſſe non convenit. Dic illa, (*l*) ſi velis, prout memoriæ

(*h*) Amuſſis conſc. punct. 11. (*i*) Part. 6. c. 1. (*k*) Eadem Amuſſis punct. 16. (*l*) Ludov. de Ponte tom. 1. de perf. tr. 3. cap. 7. §. 1.

moriæ occurrunt tuæ; vel, ſi malis ſervare ordinem, elige unum ex multis, qui tibi magis arridet.

VIII. Alius autem ordo eſt per cogitationes, verba, & opera, atque omiſſionem: (*m*) Alius, per delicta in DEUM, Proximum, & ſeipſum: alius, per decem præcepta, vel ſeptem vitia capitalia: alius à levioribus peccatis ad graviora; vel viciſſim à gravioribus ad leviora: (*n*) Alius, per octo verſus infrà ponendos.

IX. Ad bonam præparationem confeſſionis ſpectat etiam prudens electio Confeſſarii, (*o*) in quo tria potiſſimum attendere debes, prudentiam, doctrinam, & virtutem: Prudentiam quidem, ut te juvare poſſit: Doctrinam, ut te juvare nôrit: virtutem, ut te juvare velit. Confeſſarius indiſcretus, eſt ſicut

(*m*) Sotus in meth. conf. p. 5. §. Quæ inten. (*n*) Part. 6. c. 2. (*o*) Sucquet. in via vit. æter. l. 3. cap. de conf. prax. 3.

Medicus inexpertus, qui potius mortem procurat, quàm morbum curat. Confessarius indoctus, est sicut ductor cæcus, (*p*) qui cæco ducatum præstat, & se & illum in foveam præcipitat. Confessarius expers virtutis, est sicut Oeconomus infidelis, cui quadrat illud effatum Ecclesiastici. *Qui sibi nequam est, cui alij bonus erit?* (*q*)

X. Pulchrè loquuntur hac de re Origenes & S. Ambrosius. (*r*) Prior quidem hæc habet. *Considera attentè, cui debeas peccata confiteri: prospice animæ tuæ de bone medico, qui nôrit infirmari cum infirmo, flere cum flente, compati patienti: & si medicus est expertus, & misericors, ejus consilia exequere, & quas tibi proposuerit potiones, & pharmaca, excipe, quantumvis amara videantur.* Posterior verò sic ait. (*s*) *Pro Confessario elige virum,*

(*p*) Matt. 15. 14. (*q*) Eccli. 14. 3. (*r*) Origenes hom. 2. in Ps. 37. (*s*) S. Ambros. l. 1. offic. c. 81.

rum, qui virtute & scientiâ te eminenter excedat, noveritque præsentibus periculis occurrere, futura prævidere, de imminentibus admonere, dubia & argumenta tua solvere, & in tempore remedia adhibere: nec solùm consilio, sed etiam industriâ te juvare: ac denique talem, de quo possis dicere: Si mala mihi evenerint, per illum sustineo. Sequor enim bene consulentem, & confido in DEO, me non erraturum, si ejus consilium sequar, & si quando, utpote homo, ex inadvertentia contingat errare, DEUS ejus errorem convertet mihi in salutem.



CAPUT II.

De Contritione & Attritione.

I.

DOlor de peccatis eſt duplex, (t) *Perfectus*, & *Imperfectus*, hunc Attritionem, illum Contritionem vocant. Uterque hunc in modum definitur. (u) *Contritio* eſt animi dolor, ac deteſtatio voluntaria pro peccatis commiſſis, quatenus ſunt offenſa DEI ſuper omnia dilecti, cum ſpe veniæ, & propoſito non peccandi amplius, ſaltem mortaliter, ſuáque confitendi peccata, & pro iis ſatisfaciendi. (x) *Attritio*: Eſt dolor quidam de peccatis, qui vel ex conſiderata peccati turpitudine, vel ex metu inferni, vel alterius pœnæ à DEO infligendæ naſcitur.

II. Con-

(t) Pinellus lib. 1. de pœn. c. 1. (u) Trident. Seſſ. 14. c. 4. (x) Idem. loc. cit.

II. Contritio ex vero & supernaturali DEI amore procedit, (*y*) éstque dolor perfectus, appretiativè summus, propter summum bonum offensum; atque ideo efficax ad quævis peccata etiam extra confessionem delenda. (*z*) Attritio autem ex servili DEI timore provenit, éstque dolor imperfectus, atque hinc insufficiens sine Sacramento ad remissionem peccatorum mortalium obtinendam.

III. Tam Attritio, (*a*) quàm Contritio debet esse supernaturalis, proveniens ex impulsu ac motu Spiritûs Sancti, ut mereatur cum Sacramento remissionem peccatorum. (*b*) Unde si hæc vel illa sit merè naturalis ex naturali principio & motivo exorta, nihil omnino facit ad justificationem, sive cum Sacra-

 men-

(*y*) S. Thom. 3. p. q. 85. n. 6. (*z*) Layman. l. 5. t. 6. c. 1. n. 9. (*a*) S. Thom. in 4. d. 17. q. 2. a. 1. (*b*) Concil. Milevitan. c. 3. Arausicanum. cap. 7.

mento, ſive ſine illo. Sine fructu dolet, atque invalidè confitetur, quem ſolùm Pœnitet peccâſſe propter infamiam, reprehenſionem, mulctam, ægritudinem &c. nullo habito reſpectu ad DEUM.

IV. Contritio, (c) vel Attritio ad omnem confeſſionem requiritur. Unde, ſi quis confiteatur, nec priùs contritionem vel attritionem eliciat, peccat mortaliter, etiamſi peccata merè venialia, aut mortalia per aliam Confeſſionem jam deleta, afferat. (d)Ratio eſt, quia proxima materia Sacramenti Pœnitentiæ non eſt ſola confeſſio, ſed etiam dolor de peccatis. Qui bonâ voluntate ſunt præditi, ſtudioſi virtutum, Deíque amantes, faciliùs contritionem eliciunt, quàm attritionem. Qui verò pravos affectus habent, peccatis ſunt aſſueti, multis negotiis ac curis diſtenti faciliùs atteri

(c) Henriq. l. 4. c. 17. n. 7. (d) Diana. in ſumma V. Attritio. n. 10.

teri possunt, & solent, quàm conteri. Quare quivis suam, quam hac in te experitur, facilitatem, sequi potest: (*e*) Absolutè tamen meliùs est, ut omnes ad perfectissimam contritionem excitare sese conentur.

V. Ad valorem Sacramenti requiritur, (*f*) ut dolor internus aliquo modo antecedat confessionem, vel saltem absolutionem. (*g*) Ad Sacramentum Pœnitentiæ non sufficit dolere, quòd non satis doleas: debes enim reipsa habere verum dolorem de peccatis. (*h*) Utile tamen est, ex animo dolere, quòd talem, qualem oportet, contritionem in te non sentias; hoc enim juvat animum ad meliùs dolendum, majorémque gratiam ex Sacramento Pœnitentiæ suscipiendam.

 VI. Si-

(*e*) Pinellus l. 1. de Pœn. 1. 4. (*f*) Diana p. 3. t. 4. res. 134. (*g*) Layman. l. 5. t. 6. cap. 4. v. 5. (*h*) Pinellus l. 1, de Pœnit. cap. 1.

VI. Sicut *homo ignorat*, (i) *dignúsne amore sit, an odio*, ita ſcire infallibiliter nequit, (k) an veram ſemper ac ſupernaturalem contritionem vel attritionem habeat. Si tamen aliquis faciat, (l) quantum in ſe eſt, de vera & ſupernaturali contritione elicita dubitare vel angi nullo modo debet: in plerisque enim rebus humanis, atque in omni fere negotio ſalutis noſtræ, (ſi, abſit revelatio DEI) major ſcientia ac certitudo dari non ſolet, quàm moralis, cui quivis prudens ita debet acquieſcere, ut omnem ex animo diffidentiam, triſtémque ſollicitudinem deponat, ut quæ DEO diſplicet, neque aliunde trahit originem, quàm ex occulta ſuperbia, & vitioſo amore ſui ipſius. (m) Huc facit illa veritas & doctrina Theologorum, qui docent, DEUM ex

(i) Eccleſ. 9. (k) Suarez. l. 9. de grat. c. 10. n. 11. (l) Idem. loc. cit. c. 11. n. 3. (m) Card. Lugo de gratia in M. S.

ex eo, quòd hominem creaverit, & ordinârit ad finem supernaturalem, teneri quodammodo etiam ei dare media ad talem finem proportionata. Cùm ergo contritio supernaturalis inter præcipua & maximè necessaria salutis ac justificationis nostræ media sit, si quis hanc pro suorum remissione peccatorum elicere velit, & prout oportet, conetur, DEUS illi ex officio suavissimæ Providentiæ suæ concursum supernaturalem nunquam denegat, modò aliunde homo nullum ponat obstaculum.

VII. Quamvis Contritio intra breve tempus, (n) & uno fere momento elici possit, consultum tamen est, (o) huic eliciendæ diutiùs immorari, quò enim illa prolixior, eô etiam melior est, modò vitetur scrupulosa anxietas. Contritio magis consistit in animi dolore

(n) S. Bonav. in 4. l. 16. p. 1. a. 3. q. 1.
(o) Pinellus l. 1. de Pœn. c. 2.

re interno, quàm in externa verborum prolatione: (p) prodest tamen & multum facit ad animi quietem etiam ore ac voce contritionis actum ex pio libello recitare: modò id fiat animo collecto, corde contrito & humiliato. (q) Non opus est multis verbis, ac longis orationibus. David unum verbum dixit, (r) & plenam suorum peccatorum remissionem obtinuit. (s) Publicanus in Templo, & Latro in cruce paucissimis verbis justificati sunt. (t)

VIII. Vera contritio dolor est ex sua natura inter omnes dolores summus, (u) non quidem *intensivè* semper, uti experientia testatur, sed *appretiativè*, hoc est, secundum æstimationem illius mali, quod homo dete-

(p) Landsper. in Enchir. mil. Christ. c. 13. n. 15. (q) S. Ambr. ad Virgin. laps. c. 8. (r) 2. Regum c. 12. v. 13. (s) Lucæ. 18. v. 13. (t) Lucæ. 23 v. 24. (u) Brunus de Sacram. Pœn. p. 1. §. debet dolor ille.

detestatur modo quodam summo, hoc est, super omnia alia mala, quæ peccatum & offensa DEI non sunt. (x) Et hæc causa est, quòd contritio quantumvis parva ac remissa sufficiens sit ad omnia omnino peccata mortalia delenda. (y) Valde errant, qui contritionem consistere autumant in mœrore aliquo sensibili, qui lachrimas cieat, cor constringat, gemitus ac suspiria protrudat: (z) Talis enim dolor, licèt ad contritionem multùm sæpè conducat, eam tamen nequaquam constituit, neque semper in potestate hominis est: (a) imò quandoque fraudibus dœmonis, atque aliis illusionibus subjacet.

IX. Fieri potest, (b) & solet, ut quis veram habeat contritionem de

(x) Henriqu. l. 4. cap. 27. n. 2. (y) S. Thom. in 4. sent. dist. 7. quæst. 2. art. 1. (z) Landsper. in Enchir. Christ. mil. c. 12. n. 2. (a) Salutius. in 1. part. port. salut. c. 15. (b) Pinellus l. de Pœnit. c. 2.

de peccatis ſuis, & ſimul de aliis malis atque incommodis temporalibus multum doloris ac timoris ſentiat, ob infamiam v. g. reprehenſionem, caſtigationem, jacturam valetudinis, favoris humani &c. Dolores enim iſti ſecundarii tantùm ſunt de malis acceſſoriis, qui primarium illum de DEO offenſo non tollunt, ſed ſolùm comitantur.

X. Non requiritur, (c) ut de gravioribus peccatis magis, de levioribus minùs conteraris. (d) Nec item opus eſt, ut de quovis peccato ſeorſim doleas, ſed ſufficit dolor quidam generalis, qui æqualiter feratur in omnia peccata à te commiſſa: (e) prudenter tamen ſanctéque fit, ut qui graviùs deliquit, vehementiùs etiam doleat: (f) De-

(c) Layman. l. 5. t 6. c. 4. n. 6. (d) Coninck. de Sacram. d. 2. dub. 8. (e) S. Thom. in 3. d. 19. q. 2. a. 2.

(*f*) Deſcendere autem ad ſingula peccata, nec utile videtur eſſe, nec conſultum.

CAPUT III.

De Propoſito emendationis.

I.

VErus dolor de peccatis includere debet propoſitum de cætero non peccandi: (*g*) ad hoc autem duæ conditiones requiruntur. *Primò* enim debet Propoſitum eſſe efficax: (*h*) *Secundò*, extendere ſe debet ad omnia peccata mortalia (ſaltem in communi) & ad omnes occaſiones propinquas peccandi mortaliter. (*i*) *Efficacia* propoſiti in hoc conſiſtit, ut aliquis talem

(*f*) Salutius. in 1. part. port. ſal. c. 15. (*g*) Diana. p. 3. t. 4. reſ. 116. (*h*) Layman, lib. 5. t. 6. cap. 4. num. 7. (*i*) Idem loc. cit.

talem habeat voluntatem non peccandi ampliùs, quæ voluntatem huic contrariam, hoc eſt, iterum peccandi, penitus excludat. Et hæc voluntas eſt, ac dicitur *efficax* ideo, quia quamdiu in homine perſeverat, peccatum efficaciter impedit, adeo quidem, ut homo, eâ durante, peccare nullo modo poſſit.

II. Fieri autem poteſt, & teſte experientiâ, (*k*) ſæpe ſolet, ut hæc voluntas non peccandi, quæ fuit efficax ante Confeſſionem, & aliquamdiu poſt eam duravit, paulatim deinde intepeſcat, minuatur, atque omnino expiret, atque ita homo incipiat iterum peccare, atque in priſtinos defectus relabi. Ex quo duplex corollarium deducitur: (*l*) *Primò* non eſſe certum argumentum propoſiti inefficacis, ſi

(*k*) Navarrus c. 3. n. 13. cap. 9. n. 18.
(*l*) Suar. Sanch. Lug. apud Buſenbaum l. 6. t. 4. c. 1. dub. 2. n. 9.

si denuo fiat relapsus in antiqua peccata: *Secundò* posse fieri, ut aliquis habeat efficax propositum amplius non peccandi, & simul valde probabiliter judicet, se iterum peccaturum.

III. Nemo tamen hac in re sibi plùs æquo blandiatur. (*m*) Si statuis amplius non peccare, & postea æquè multùm, vel etiam plùs peccas, quàm antea, quis credat, te habuisse propositum efficax? si fuit efficax, quomodo nullum omnino habuit effectum? Teste Alberto Magno, (*n*) *Argumentum falsæ contritionis habet, qui quamvis peccata defleat, tamen continuo post dolorem eadem vel alia committere non formidat.* Et S. Augustino, qui sic ait: (*o*) *Inanis est Pœnitentia, quam sequens culpa*

(*m*) Ludovic. de Ponte. tom. 1. de perf. tom. 3. c. 3. §. 1. n. 1. (*n*) B. Albert. M. in parad. anim. cap. 39. (*o*) S. August. citatus à Soto in method. conf. p. 5. §. de peccato recidivo.

pa coinquinat: nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata: nihil valet de malis veniam poscere, & mala denuo iterare: bona est peccatorum confessio, si etiam curatio sequatur.

IV. Qui pollicetur fugam peccatorum mortalium, (*p*) & non cogitat eorum *propinquam occasionem* evitare, vehementer errat, (*q*) si verum se credat habere propositum, síque taliter constitutus confiteatur, sibi imponit, mentitur DEO, & Sacramento, Pœnitentiæ illudit. (*r*) *Occasio propinqua* peccandi est, quando aliquis in tali occasione difficulter potest, & vix unquam solet abstinere à peccato. *Remota* verò peccandi *occasio* est, in qua aliquis facilè potest, & sæpe solet evitare peccatum.

V. Utrum autem hæc vel illa res tibi propinqua occasio sit, (*s*) an remo-

(*p*) Layman. l. 5. t. 6. c. 4. n. 9. 10. 11.
(*q*) S. Isidor. lib. de sum. bono cap. 16.
(*r*) Layman. loc. cit. (*s*) Idem loc. cit.

remota, id ab experientia, & agnita fragilitate tua, aut ex aliis circumstantiis dignoscere poteris. Propinqua tibi occasio esse potest hoc vel illud, quod alteri vix remota, aut nulla omnino occasio est peccandi. Qui conscientiæ puritati studiosiùs invigilant, pericula peccandi non solùm propinqua, sed etiam remota fugere statuunt, réque ipsa fugiunt, ea præsertim, quæ in rebus magis lubricis, & illecebrosis sunt, quæque ex vitio naturæ, vel consuetudinis, vel alia ex causa plus afferunt, vel afferre possunt nocumenti.

VI. Sicut ad Confessionem peccatorum etiam merè venialium requiritur contritio, (t) vel attritio, ita ad eandem necessarium est propositum vitandi peccata, adeo quidem, ut sine tali proposito confessio invalida fiat, ac sacrilega. Scien-

(t) Lugo de Sacrament. Pœnit. dub. 14. p. 8. &. 9.

Sciendum tamen eſt, (*u*) propoſitum vitandi peccata venialia nonnihil diverſum eſſe à propoſito vitandi peccata mortalia. Non enim teneris velle vitare omnia peccata venialia, (*x*) ſicut mortalia; quare, ſi vel unum peccatum veniale efficaciter emendare ſtatuiſti, pœnitentiæ Sacramento jam ſatisfeciſti. Item non teneris velle vitare occaſiones etiam propinquas peccatorum venialium, ſicut mortalium: tam gravis enim obligatio circa leviora peccata eſſe non poteſt, quàm circa grandiora.

VII. (*y*) Terruit te forſan hæc adeo ſevera doloris ac propoſiti ad quamlibet confeſſionem requiſiti obligatio; præſertim ſi talis es, qui ſæpius confiteris, & alia plerumque peccata non affers, quàm quibus hactenus, ceu pani quotidia-

(*u*) Layman. l. 5. t. 6. c. 4. n. 10. (*x*) S. Thom. q. 87. a. 1. ad 1. (*y*) Barry. in anno Sancto p. 3. c. 3. pro 17. Julii prax. 2.

diano, assuevisti, eáque in pari fere numero, qualitate, & quantitate confiteri soles. Si placet audire, utile tibi suggero consilium; proderit fortasse ad majus solatium, majorémque animi tui quietem. (z) Si quando ordinaria, quæ dixi, peccata confiteri vis, elice *primò* dolorem de omnibus peccatis tuis in genere; *deinde* selige tibi ex omnibus unum, vel alterum, à quo peculiarem displicentiam, ac horrorem sentis, déque eo specialiùs dole, atque id majore posthac curâ vitare statue. (*a*) Si verò nullum tale peccatum ab ultima confessione commissum occurrat, sume unum ex peccatis aliis, quæ jam aliàs confessus es, idque peccatis tuis ordinariis adjunge, ac iterum novo cum dolore ac proposito confitere. Et hac ratione evitabis periculum invalidæ confessionis, vel

(z) Arias. de freq. com. c. 4. (*a*) Pinellus, lib. 2. de pœnit. cap. 11.

ſaltem ſcrupulum tibi eximes de confeſſione malè peracta.

VIII. Ad valorem Sacramenti non requiritur ſemper (*b*) *propoſitum formale*, atque expreſſum, hoc eſt, tale, quo verbis claris ac diſertis dicas, v. g. „Propono poſt„hac amplius non peccare &c. Sed ſæpe ſufficit *propoſitum virtuale* tantùm, ſeu tacitum, hoc eſt, tale, quod in virtute contritionis vel attritionis elicitæ continetur. Ut ſi quis v. g. ex animo dicat: „Do„leo, quòd Deum offenderim &c. Hoc ipſo cenſetur, nolle amplius peccare, Deúmque offendere, tametſi hoc verbis clarè non exprimat. (*c*) Interea tamen melius eſt, ac ſecurius non tantùm virtuale propoſitum atque implicitum, ſed etiam explicitum ac formale ante confeſſionem elicere. Imò ſi quis me-

(*b*) Lugo. de Sacrament. pœnit. d. 14. ſ. 5. n. 52. (*c*) Pinellus lib. 2. de Pœnit. cap. 8.

memor peccati cujusdam gravis sentiret, se ad id tunc allici, atque exstimulari, teneretnr expressum, & formale habere Propositum, juxta sententiam Theologorum.

IX. (*d*) Sicut contritio ita & propositum non debet necessariò extendi ad omnia peccata mortalia seorsim ac in particulari: (*e*) Sed sufficit, si in genere feratur in omnia, non habito discrimine majoris vel minoris malitiæ. (*f*) Neque item necessarium est, ut aliquis comparationem instituat. „Dicátque „v. g. Propono posthac mille po„tiùs vitas profundere, omnium „bonorum jacturam facere, valetu„dinem, famam, & quidvis aliud „amittere, potiùs ad tempus vel „æternum gehennæ flammas pati, „quàm vel unicum peccatum mor-

 tale,

(*d*) Suarez d. 10. f. 4. n. 28. (*e*) Bonacina d 5. q. 5. f. 1. p. 3. n. 7. (*f*) S. Bonav. in 4. d. 16. p. 1. a. 2. q. 1.

„tale, aut etiam veniale ſcienter
„ac deliberatè committere, &c.

X. Propoſitum cum tali comparatione factum equidem bonum, (g) ſublime ac valde perfectum eſt, omnibus tamen haud vonvenit, imò quibusnam periculoſum eſt. (h) Si DEI ſpiritus te agat, ſi fervor charitatis te urgeat, ſi nullam times vertiginem, nullum periculum, indulgere poteris affectui, & agere quod lubet, & tua tibi devotio dictat.



II. PARS

(g) Salutius. in 1. p. port. ſal. c. 4. & 8.
(h) Pinellus l. 1, de pœn. c. 1.

II. PARS
DE
CONFESSIONE
SEU
NARRATIONE
PECCATORUM.

I.

Dixi. Confitebor adverſum me injuſtitiam meam. *Pſalm.* *31. verſ. 5.*


II.

Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt DEUS, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate. I. *Joan. cap.* I. *verſ.* 9.

III.

Qui abſcondit ſcelera ſua non dirigetur, qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſericordiam conſequetur. *Prov. cap. 28. verſ. 13.*

CA-



CAPUT I.

De materia Confessionis.

I.

COonfessio in peccatorum enarratione consistit. (*i*) Materia confessionis sunt *primò*, Peccata mortalia, & venialia, quæ nunquam confessus es. *Secundò* Peccata mortalia & venialia, quæ per confessionem jam aliàs ritè & legitimè expiâsti.

II. (*k*) Solent subinde timoratæ conscientiæ homines etiam defectus aliquos confiteri, quæ propriè peccata non sunt, (*l*) sed tantùm *im-*

(*i*) S. Thom. q. 84. a. 2. (*k*) Joan. Sanchez. d. 1. de Sacram. n. 1. (*l*) Lugo d. 16. de Sacram. s. 2. §. 6. n. 102.

perfectiones, uti communiter vocari ſolent. (*m*) Hoc autem faciunt vel ad majorem humilitatem, vel pro majore animi pace, vel etiam pro remiſſione culpæ, quæ ſæpe, imò plerumque talibus defectibus admixta eſt: Quare illi, qui ſimiles defectus confitentur, culpari non debent.

III. Defectus ejusmodi ſunt *primò*, illi actus, (*n*) qui tantùm conſilio & perfectioni virtutis repugnant, non autem præcepto, vel ipſi virtuti. Uti eſt v. g. omiſſio precum, vel operum ex laudabili devotione ſuſceptorum, denegatio obſequii, quod alteri præſtare facilè poſſes, non tamen teneris &c. *Secundò*, Transgreſſiones earum legum, regularum & ſtatutorum, quæ non obligant ſub culpa, ſed ſolùm ſub pœna, uti eſt v. g. neglectus earum rerum, quas vi legum Con-

(*m*) Lancicius opuſc. ſpir. 3. cap. 2.
(*n*) Lancicius loc. cit.

Congregationis vel Scholarum Sodales B. Virginis ac Studiosi litterarum facere tenentur. (o) De his defectibus seu imperfectionibus plura dicentur infrà.

IV. Non tenemur omnia peccata venialia confiteri: (p) Unde si quis unum, vel plura peccata venialia etiam scienter ac studio in confessione reticeat, nullo modo peccat. (q) Posito autem, quòd velis sacramentaliter confiteri, debes saltem unum peccatum in specie explicare, alioquin absolvi non poteris.

V. Valde utile est, (r) ac consultum, ea peccata venialia diligenter confiteri, quæ majorem malitiam habent, quæque majore cum deliberatione facta sunt: ut, si datâ operà mentitus es, alium

(o) Vid. infrà p. 6. c. 1. (p) Gaudier. p 5. de perf. nat. & caus. s. 11. c. 3. (q) Layman. l. 5. t. 6. c. 5. §. 15. (r) Thesaur. precum. l. 4. c. 8.

contristasti, res impudicas curiosè aspexisti &c. (s) Et si insuper his venialibus peccatis numerum adjungas, bene facis, licet ad id faciendum non tenearis.

VI. Bona mente, (t) sed minùs peritè confitentur, qui se accusant de peccatis & defectibus quibusdam nimis generalibus, quibus non illi tantùm, sed omnes omnino homines obnoxii sunt, v. g. „Qui „dicunt. DEUM, uti par est, non „amavi: illi pro acceptis beneficiis „non satis gratias egi: beatam Virginem, & alios Sanctos debitâ „veneratione non prosecutus sum: „proximum, sicut meipsum, non „dilexi: in studio virtutum, ac vitiorum expulsione æquo segnior „fui: accuso me de omnibus iis, „in quibus me DEUS culpabilem „scit

(s) Gaudier. p. 5. de perf. nat. & caus. l. 11. c. 2. (t) Barry in solit. Hag. die 3. diss. mat. §. 4.

„ſcit &c. (u) Hæ & ſimiles confitendi formulæ ab ordinaria confeſſione penitus proſcribi debent, quia ſunt impertinentes, inutiles, moleſtæ Confeſſario; prolongant enim ſine cauſa confeſſionem, & eos, qui confiteri volunt, retardant. Si talia velis in annua generali confeſſione reliquis tuis peccatis ſubnectere, nolim id tibi diſſuadere, modò ea non nimium accumules.

VII. (x) Scrupuli (ſi verè tales ſint) non ſunt materia confeſſionis, quia non ſunt peccata, ſed meri timores, & apprehenſiones peccatorum, contra quas agere licitum eſt, imò laudabile: (y) Ut adeo melius ſit, de his in confeſſione nihil omnino dicere: (z) qui enim à ſcrupulis liberari vult, iis reſi-

(u) Arias. lib. de frequent. com. c. §. 3. Qui ſæpius. (x) Sanchez. l. 1. m. 1. cap. 10. n. 82. (y) Gerſon. oper. p. 2. tractat. de præpar. ad Miſſam. conſ. 6. (z) vid. infrà p. 5. cap. 3.

resistere debet, non indulgere. Plura de his infrà.

VIII. (*a*) Omnia peccata mortalia in confessione ritè peracta remittuntur, etiam ea, quæ per oblivionem, vel alia justa de causa dicta non sunt. Illa enim, quæ dicuntur in confessione, remittuntur *directè* & sine obligatione ulteriùs ea confitendi: (*b*) quæ verò per oblivionem, aut alia justa de causa dicta non sunt, remittuntur *indirectè*, & cum obligatione, ea (si iterum occurrant, vel causa tacendi cesset) denuo confitendi.

IX. (*c*) Unde si quis in confessione peccati unius vel plurium mortalium oblitus est, ac eorum postea recordetur, tenetur ea in proxima confessione manifestare. (*d*) Si autem probabilitet judicet, se

(*a*) S. Thom. q. 84. a. 8. & 9. (*b*) Turrianus de pœnit. q. 9. a. disp. 29. dub. 2. (*c*) Idem loc cit. (*d*) Thesaur. precum. l. 4. c. 4. §. Quamvis.

ſe peccatum aliquod jam ſemel confeſſum eſſe, licet illius memoriam amplius non habeat, non tenetur id rurſum confiteri, niſi forte hoc facere malit pro majore ſecuritate, & animi pace.

X. Ratio hujus doctrinæ eſt, (e) quia omnia peccata mortalia, quorum homo certam, vel etiam (juxta multorum ſententiam) dubiam cognitionem habet, debent ſemel ſaltem clavibus Eccleſiæ directè ſubjici, hoc eſt, in confeſſione coram legitimo Judice ſpirituali manifeſtari.

CAPUT II.

De Specie & Numero peccatorum.

I.

AD integritatem Confeſſionis, (f) ex definitione Concilii Tri-

(e) Trident. Seſſ. 14. c. 5. (f) Trident. loc. cit.

Tridentini, duo requiruntur. *Primò* ut species peccatorum mortalium explicetur: *Secundò*, ut numerus eorundem exprimatur. (g) *Numerica peccatorum distinctio* potissimum ex actuum interruptione & repetitione desumitur: (h) *Specifica* autem ex repugnantia cum diversis virtutibus, vel ex diverso modo repugnandi iisdem: quæ res cùm multis implexa sit difficultatibus, breviter & clarè hîc explicari nequit. Tibi sufficiant, quæ hoc & sequenti capite, (i) & infrà de varia peccatorum classe dicentur.

II. Peccatum mortale quoad speciem confiteri, est, (k) illud verbis ita claris, ac propriis dicere, ut Confessarius intelligere possit, qualenam illud peccatum sit; juramentum, an perjurium; furtum, an

(g) Layman. l. 1. tom. 3. cap. 3. toto. (h) Idem loc. cit. cap. 2. toto. (k) vid. infrà p. 6. cap. 1. 2. 3. (i) Veron. in Gec. Sod. c. 4. p. 2. n. 1. & 2.

an Sacrilegium; delectatio morosa, an desiderium rei illicitæ? &c.

III. Peccata sua quoad speciem non satis declarant, (*l*) qui verbis ea nimis amplam, latámque significationem habentibus confitentur, ut, siquis v. g. dicat. „Habui malas cogitationes; dixi verba inhonesta; peccavi contra castitatem; „fui causa peccati &c. Ex his enim verbis Confessarius scire nequit, (*m*) an cogitationes habueris iracundas, incastas, an alias; an verba dixeris scurrilia, an lascivia; an peccâris contra castitatem opere, aut verbo, an solùm cogitatione; an causa, fueris peccati mortalis, an venialis? &c. Dicendum ergo est. „Cogitationes habui iracundas: „verba dixi scurrilia: rebus impuris morosè delectatus sum: causa „fui

(*l*) Ludov. de Pont. tom. de perf. tom. 3. cap. 7. §. 2. num. 2. (*m*) Amussis conf. punct. 7.

„ſui, quòd alter venialiter delique-
„rit, juraverit, &c.

IV. Speciem item peccati non exprimunt ſufficienter, (*n*) qui circumſtantiam aliquam dicere omitſunt, quæ peccato novam ac diverſam malitiam addit. Ut ſi quis confiteatur v. g. furtum, & circumſtantiam loci ſacri non indicet: item qui dicit, ſe juráſſe, & reticet falſitatem juramenti; qui de peccato luxuriæ ſe accuſat, & de voto caſtitatis, quod habet, nihil manifeſtat. De hoc plura in capite ſequenti.

V. (*o*) In explicatione ſpeciei peccaminoſæ errant, qui verbis valde ambiguis, prolixis, ac ſubobſcuris peccata ſua non tam explicant, quàm occultant. Ut, qui v. g. malitiam Dœmonis multùm exaggerat, ſuámque infirmitatem, occaſionum illecebras graviter incuſans denique ait. „Se hominem eſſe, neque ſa-
„tis

(*n*) Trident. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7.
(*o*) Pinellus l. 2. de pœnit. t. 2. §. 6.

„tis fortiter dimicâsse contra tenta-
„tionem, sed aliquantulùm eidem
„succubuisse. Quid, obsecro, opus est tanto verborum apparatu? Dic quatuor verbis. „Impuras cogita-
„tiones libenter habui; & totum vulnus tuum detexisti.

VI. (p) Sunt quædam peccata ex se quidem atque ex genere suo gravia & mortalia, quæ tamen (præsertim apud adolescentes) sæpe parva fiunt, & venialia, vel ex parvitate materiæ, vel imperfecta deliberatione. vel alia ex causa: unde, qui talia simpliciter, ac sine limitatione confitetur, non videtur sufficienter seipsum declarare v. g. Si dicas. „Furatus sum: alteri de-
„traxi: dixi verba impudica; pro-
„ximum offendi &c. Et nihil addas, nesciet Confessarius peccarísne, venialiter an mortaliter? Adjunge igitur, multúmne furatus sis, an

(p) Veron. in man. sod. cap. 4. pag. 2. num. 4.

an parum: (q) leviter alteri detraxeris, an graviter: an dixeris verba impudica ex libidine, an ex levitate, cum gravi, an levi ſcandalo aliorum: an proximum offenderis in re gravi, an ex odio, & amore vindictæ, an ex ſubita, & indeliberata ira. An ex petulantia & levitate.

VII. Si quis unum duntaxat peccatum mortale, (r) aut circumſtantiam aliquam neceſſariam ſcienter omittit, non tantùm ſacrilegium committit, ſed confeſſionem inſuper invalidam reddit. (s) Quin imò ſi quis peccatum aliquod mortale vel ejusmodi circumſtantiam reticere deliberatò propoſuit, idque nihilominus in confeſſione poſtea expreſſit, non valebit confeſſio, niſi hoc etiam addat, quòd de eo peccato ſeu

(q) Pinellus l. 2. de pœn c. 2. §. 1. & 4. Item cap. 3. §. 4. (r) Viexmontius de pœnit. cap. 2. (s) Pinellus. l. 2. de pœn. cap. 2. §. 10.

ſeu circumſtantia Confeſſarium celare ſtatuerit.

VIII. Qui numerum peccatorum mortalium de induſtria, (t) vel ex gravi incuria in confeſſione omittit, peccat mortaliter, haud ſecùs, quàm ſi aliquod grave peccatum ſtudio reticeret.

IX. (u) Qui certum numerum ſuorum peccatorum mortalium ſcire nequit, dicere debet probabilem: (x) Si verò neque hunc determinare poteſt, ſatis eſt indicare conſuetudinem per diem, hebdomadem, menſem, annum &c.

X. Si confeſſus es, (y) te peccatum aliquod unius ſpeciei v. g. vigeſies plùs minùs commiſiſſe, & poſtea recorderis, te vigeſies bis, aut tantùm decies octies perpetrâſſe, non erit neceſſe repetere confeſſio-

(t) Tridentinum. ſeſſ. 14. cap. 5. can. 7.
(u) Dicaſtillo d. 9. d. 2. §. 1. n. 62. & 63.
(x) Diana p. 4. t. 4. reſol. 204. (y) Tamburin. l. 2. c. 1. §. 4. n. 22.

ſeſſionem, & illum exceſſum aut defectum numeri explicare.

CAPUT III.

De circumſtantiis peccatorum.

I.

SIcut rebus omnibus, (z) ita & peccatis ſeptem potiſſimum circumſtantiæ adjungi vel ineſſe poſſunt, quæ communiter hoc verſiculo declarantur. *Quis quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando?* per *Quis* intellige Perſonam, à qua peccatur: per *Quid*, materiam, in qua peccatur: per *Ubi*, locum, in quo peccatur: per *quibus auxiliis*, ſocios aut complices, quibuſcum peccatur: per *Cur*, finem, ob quem peccatur: per *Quomodo*, modum, quo peccatur: per *Quando*, tempus, & moram, quo & quà peccatur.

II. Om-

(z) Coſter. l. 1. Chriſt. inſtit. c. 3. n. 9.

II. Omnes hæ circumstcutiæ malitiam peccati possunt augere & minuere: (*a*) eam *augent*, quando novam illi malitiam adjungunt, aut propriam modo quocunque intendunt. Eam *minuunt*, quando libertatem actus impediunt, aut ejus vehementiam aliquo modo retundunt. Si Circumstantiæ malitiam peccati sic augeut vel imminuunt, ut illud mortalem malitiam amittat, aut aliam alterius speciei acquirat, dicuntur mutare speciem peccati, & harum (uti postea dicetur) peculiaris habenda est ratio in confessione.

III. Breviter hîc dicta exemplis declaro. Amianus Sacerdos peccavit contra castitatem, & duplici delicto se obstrinxit, impuritatis, & sacrilegii, propter circumstantiam *personæ*. Basilius Adolescens furatus est tres baceos, & tantùm veniali-ter

(*a*) Salutius. in 1. part. port. salut. cap. 16. & 22.

ter peccavit, mortaliter alioquin peccaturus, si tres florenos furatus esset, propter circumstantiam rei seu *materiæ*. Cleanthus Miles occidit hostem suum in templo, & præter homicidium commisit sacrilegium propter circumstantiam *loci*. Diodorus Calvinista die veneris comedit carnes, & DEUM mortaliter offendit, propter circumstantiam *temporis*. Eligius maritus peccavit cum moniali, consanguinea sua, & quatuor scelera uno commisit actu, libidinem, injustitiam, sacrilegiùm, incestum, propter circumstantiam *complicis*. Fulgentius famulus adactus ab hero suo consensit in peccatum, & minùs deliquit, quàm alius, qui citra metum id ipsum fecit, propter circumstantiam *modi*. Gelasius, mercator leviter est mentitus, ut alteri grave damnum inferret, &

ita

ita mentiendo mortalem contraxit noxam propter circumſtantiam *finis.*

IV. Certa eſt omnium Doctorum ſententia, (*b*) eas circumſtantias, quæ *ſpeciem peccati mutant*, neceſſariò in confeſſione aperiendas eſſe, atque ita definit Concilium Tridentinum his verbis. *Præterea colligitur, eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant.* Ex hac generali doctrina quinque ſequentia deducuntur corollaria.

V. *Primò*, Si peccata, (*c*) quæ ex natura ſua, vel juxta communem uſum tantùm ſunt, aut ſolent eſſe venialia, propter adjunctam circumſtantiam facta ſint mortalia, neceſſariò dicenda ſunt in confeſſione, unà cum illa, quæ eis acceſſit, circumſtantia. Hinc malè

(*b*) Tridentin. Seſſ. 14. cap. 5. (*c*) Veron. in man. Sod. cap. 4. pag. 2. num. 6.

malè confitentur illi, qui dicunt se mentitos esse, detraxisse aliis, & nullam faciunt mentionem gravis damni, quod per hæc peccata aliis intulerunt.

VI. *Secundò*, si peccata, (*d*) quæ ex natura sua vel juxta communem usum non nisi simplicem habent, aut habere solent malitiam mortalem, ex adjuncta circumstantia acquirunt aliam malitiam itidem mortalem, necessariò dicenda sunt in confessione, unâ cum illa circumstantia aggravante. Hinc malè confitentur illi (uti jam suprà dictum est, qui se accusant de peccatis contra castitatem perpetratis, & nihil dicunt, de voto castitatis, quo se DEO obstrinxerunt.

VII. *Tertiò*, si peccata quæ ex natura sua, (*e*) vel juxta communem usum sunt, & esse solent mortalia,

(*d*) Veron. loc. cit. n. 3. (*e*) Idem loc. cit.

talia, propter adjunctam circumstantiam facta sint tantùm venialia, nulla quidem est obligatio ea dicendi in Confessione, qui tamen illa confiteri vult, necessariò debet aperire illam circumstantiam minuentem; ne Confessarius in judicio rei gravis decipiatur, æstimando peccatum esse mortale, quòd solùm est veniale, aut omnino nullum. Hinc malè confitentur illi, qui dicunt, se die festo non audivisse sacrum, in quadragesima non jejunasse, & causam legitimè excusantem ab auditione sacri, & observatione jejunii non adjungunt. Qui item dicunt, se turpes habuisse cogitationes, & motus incastos, neque addunt, hoc accidisse in somno, aut imperfecta cum deliberatione, aut sine ullo consensu.

VIII. *Quartò*, Circumstantiæ peccati: (*f*) *aggravantes*, quæ speciem pec-

(*f*) S. Thom. in 4. dub. 16. q. 3. art. 2. q. 5.

cati non mutant, neque ex veniali mortale faciunt, non sunt necessariò in confessione dicendæ, v. g. Si delectatus es morosè, non opus est dicere, quamdiu delectatio illa duraverit. Si te inebriâsti, non est necesse dicere, id die festo accidisse &c.

IX. *Quintò*, (g) Circumstantiæ peccati *minuentes*, nisi malitiam peccati omnino tollant, vel ex mortali veniale faciunt, non sunt necessariò declarandæ in confessione. Unde qui ex gravi metu scienter ac deliberatè peccavit mortaliter, tenetur quidem peccatum suum confiteri: illius autem circumstantiam metûs, si dicere omittat, non peccat.

X. Quamvis illas circumstantias, (h) quæ, citra mutationem speciei, peccati malitiam augent, nemo

(g) Vasquez. q. 91. art. 1. dub. 1.
(h) Salutius. in 1. part. port. sal. cap. 20. 21.

mo teneatur in confeſſione declarare, nihilominus id cum laude & fructu fieri non tantùm poteſt, ſed etiam ſolet ab hominibus, qui timoratæ ſunt conſcientiæ, (*i*) tum propter majorem ſecuritatem & quietem animi, ſi forte circumſtantia illa à parte rei mutâſſet ſpeciem: tum propter majorem fidelitatem & victoriam ſui, quæ coram DEO valde eſt meritoria, & ſatisfactoria pro peccatis. (*k*) Hoc autem de peccatis venialibus quoque intelligi poteſt; unde, teſte Franciſco Sales, optimè agunt, qui his venialibus peccatis circumſtantias *aggravantes*, præſertim ex *fine* adjungunt, ut, ſi v. g. mentitus es ob vanam gloriam, confitearis non tantùm mendacium tuum, ſed etiam vanitatem. ex qua illud

(*i*) Sucquet. in via vit. ætern. lib. 3. cap. 10. de conf. prax. (*k*) Sales. in introduct. ad vit. dev. part. 2. cap. 19.

profluxit ; si alium reprehendisti ex cupiditate vindictæ, non tantùm dicas importunam reprehensionem, sed etiam inordinatam passionem iræ, &c.



III. PARS

III.

PARS

DE

PROPRIETA-
TIBUS.

BONÆ

CONFESSIONIS.

I.


Effunde, ſicut aquam, cor tuum ante conſpectum Domini. *Thren. c. 2. v. 19.*

II.

Humilia valde ſpiritum tuum. *Eccli. cap. 7. verſ. 19.*

III.

Honor Regis judicium diligit. *Pſalm. 95. v. 7.*



CAPUT. I.

De puritate & veracitate confessionis.

I.

ANte omnia Confessio debet esse Pura & Verax; *pura* quidem quia puritatem animæ pro fine habet: (*l*) *verax* quia quandam judicii formam continet. Confessio *pura* est, si nihil labis ex affectu inordinato contrahat. Confessio *verax* est, si omnem hypocrisin ac falsitatem excludat. Contra *puritatem* Confessionis agunt, qui aliquid à dignitate atque fine

(*l*) Thesaur. precum. lib. 4. cap. 6. §. Primò.

Sacramenti diverſum quærunt; ſic vitiant confeſſionem, qui illam obeunt ex vana gloria, ob lucrum temporale, aut ſolatium humanum. *Veracitati* confeſſionis adverſantur, qui in ea Confeſſario mentiuntur, dum ea, quæ fecerunt, negant; aut ea, quæ non fecerunt, dicunt: dum item certa aſſerunt pro dubiis aut dubia pro certis: dum denique ſua peccata verbis ambiguis atque obſcuris fallaciter involuunt, tegunt, atque excuſant.

II. Sacramento Pœnitentiæ injuriam quodammodo irrogant, (*m*) qui de rebus à Confeſſione alienis in confeſſionali cum Confeſſario tractant. id quod faciunt, *Primò* illi, qui ſæcularia negotia hîc loci expediunt, de rebus domeſticis aut ſcholaſticis cum Confeſſario agunt. *Secundò*, qui rumores belli narrant, aut mores aliorum taxant. *Tertiò*, qui

(*m*) Alvarez. tom. 1. p. 1. de fug. pec. cap. 7. §. 2.

qui ſuam exaggerantes inopiam eleemoſinam emendicant. *Quartò*, qui corporis infirmitates prolixè proponunt, & de remediis earum anxiè inquirunt. (*n*) *Auferte iſta hinc*, O Judæi, non Chriſtiani! locus iſte, locus compunctionis eſt, & vos illum facitis officinam vanitatum.

III. Nihil ita puritati Confeſſionis officit, (*o*) atque *Amor carnalis, aut ſenſualis*, ſive confitentis erga Confeſſarium, ſive Confeſſarii erga confitentem: cùm enim confeſſio res ſit ſacroſancta, quæ ſita eſt in ſpiritu & veritate, nulla re magis inquinatur quam tali affectu, qui provenit ex carne & ſanguine. (*p*) Certè amor inordinatus, ſive intra ſive extra confeſſionem, ſemper diſplicet DEO, placet diabolo, amanti officit, incommodat

(*n*) Joan. 2. 16. (*o*) Pinellus lib. 2. de pœnit. cap. 14. (*p*) Idiota. de contempt. amor. div. cap. 34.

amato, extinguit ſpiritum, emollit animum, devotionem impedit, compunctionem tollit, virtutes enervat, tentationes auget, elicit munuſcula, frequentat colloquia, ſexcentis miſcetur nugis, & mille committit ineptias.

IV. *Quæ conventio Chriſti cum Belial?* (q) Quid amor & blanditiæ in tam ſerio negotio animæ? An poteſt mollis & ſuavis dilectio habere locum in humili corde & ſpiritu contrito? Nunquid judex jucundari, & delitiari ſolet cum reo, aut reus cum judice, quando hic decretoriam profert, ille audit ſententiam? (r) Quare, ſi ſapis & ſentis, hanc fuge ſenſualitatem in confeſſione, teque ab omni liberum ſerva inordinatione. Eſto cautus & prudens: Non enim omne, quod micat aurum eſt, & ſæpe ſub ſpecie veræ charitatis

(q) 2. Cor. 6. 15. (r) Pinellus. loc. cit.

ritatis latet vitium fœdæ carnalitatis, quódque in ſpiritu inchoatur & continuatur aliquamdiù cum virtute, paulatim deſinit in vitium, & denique conſumatur in carne.

V. (s) Mentiri in confeſſione peccatum eſt ex genere ſuo mortale; excuſat tamen parvitas, materiæ: (t) Mendacium enim de peccato veniali, non eſt peccatum mortale; niſi illud veniale totalis eſſet materia Confeſſionis: (u) Nam tunc daretur abſolutio ſine materia & ſacramentum eſſet nullum. Excuſatur item à peccato mortali, (x) qui mentitur in confeſſione de re impertinente ad confeſſionem, nec requiſita ad judicium Confeſſarii, ut, ſi pœnitens afferat circumſtantiam falſam,

 (y) quæ

(s) Layman. dub. 5. tom. 6. cap. 8. v. 15. (t) Diana p. 1. tract. 5. reſ. 27. (u) Suarez. tom. 4. dub. 12. ſ. 10. n. 6. (x) Navarrus cap. 21. n. 37.

(y) quæ ſpeciem peccati non mutat; vel, ſi mendax reſponſum det Confeſſario quædam à Confeſſione aliena quærenti.

VI. Mortale ſacrilegium eſt; (z) ſi quis ſtudio unum, vel plura peccata mortalia in Confeſſione dicit, quæ certò aut quaſi certò novit, à ſe nunquam commiſſa eſſe. (a) Idem puta, ſi quis numerum peccatorum mortalium ſcienter ac ſtudio auget. Unde rudes ac imperiti homines graviter hallucinantur, (b) qui ne errent in numero parvo, numerum dicunt valde excedentem, rati, numerum parvum in majore incluſum ſufficienter hoc modo explicari.

VII. Peccata in Confeſſione eo modo dici debent, quo cognoſcun-

(y) Idem. loc. cit. (z) Diana. in ſumm. V. Confeſſ. n. 42. (a) Pinellus lib. 2. de Pœnit. cap. 1. §. 4. (b) Idem. loc. cit.

ſcuntur. (c) Si eorum notitia ſit certa, aut probabilis, oportet ea ſimpliciter; ac ſine ambiguitate confiteri, dicendo, v. g. „Ebrius „fui, *bis*. Die feſto neglexi ſacrum, „*ſemel*. Si verò ſit dubia, tum etiam ſub dubio peccata proferri debent. Modus autem dubitandi de peccatis varius eſt: Unde etiam ratio peccata dubia confitendi varietatem habet. Si ſcias, rem aliquam eſſe peccatum mortale, dubitas autem, an rem illam feceris, vel, an feceris ſatis advertenter & deliberatè, poteris illam hoc modo confiteri. e. g. „Alteri ex ſubita & vehementi ira grave malum imprecatus „ſum, dubito, an ſatis deliberatè. „Habui turpes cogitationes. & ſenſi incaſtos corporis motus, dubito, an cum conſenſu, ſaltem imperfecto.

(c) Gaudier. part. 5. de perf. nat. & cauſ. ſ. 11. cap. 3.

VIII. Si ſcias, te rem aliquam feciſſe, dubitas autem, utrum res illa ſit peccatum grave, tum primò diſpicere debes, an illud dubium habueris antè, vel tunc, quando rem illam feciſti, an verò poſtea primùm, quando res illa jam peracta fuit. Si dubitatio opus tuum anteceſſit, vel ei conjuncta fuit, tunc illud confiteri debes, & potes hoc modo. v. g. „Furatus ſum me„dium florenum, dubitans, an pec„carem mortaliter: legi librum in„caſtum, dubitans ac timens, ne „eum legendo graviter delinque„rem &c. Si autem dubitatio primùm orta eſt, opere jam commiſſo, tunc vel omitte factum confiteri, quia nullum peccatum eſt (ſaltem grave) ſed tantùm ſcrupulus, vel, ſi velis illud confiteri, dic hoc modo v. g. „Uno „quadrante poſt ſacram commu„nionem exſpui in terram, & po„ſtea

„ſtea dubitare cœpi, an graviter „deliquerim. Meum condiſcipu„lum *ſtultum* appellavi, & poſtea „mihi incidit, hoc eſſe peccatum „mortale.

IX. Si dubitas, vel ſcias, aut probabiliter credas, te rem aliquam feciſſe, & aliunde ſatis nôſti, rem illam non eſſe g ave peccatum, aut quia hoc legiſti in probato auctore, aut quia id audiſti à viro docto, aut aliam juſtam rationem habes, cur credas non eſſe peccatum grave; tunc nullo modo teneris id confiteri, quantumvis animus tuus angatur ex timore, ne fortè peccâris mortaliter; ſcrupulus enim eſt, qui te affligit, ortus non ex rationabili judicio, ſed ex inani apprehenſione.

X. Si verò adeo perplexus es, ut nequeas diſcernere, verúsne ſcrupulus ſit, quod te angit, an verò peccatum, pro majore quie-

te

te tua (nisi confessarius contrarium suaserit) poteris breviter ita confiteri. „Hoc vel illud feci: „nescio, an peccarim graviter. „Si DEUM offendi, doleo ex ani„mo.

CAPUT II.

De Humilitate & Fortitudine Confitentis.

I.

ALtera bonæ confessionis conditio est, ut ea sit Humilis ac Fortis. (*d*) *Humilis* quidem, ut pœnitens peccata omni confusione digna sincerè dicat: *Fortis* verò, ut occurrentes difficultas cordatè vincat. A *Fortitudine* deficit, qui grave peccatum ex verecundia reticet. In *Humilitatem* peccat, qui seipsum accusando excusat, sicut homo

(*d*) Salutius, in 1, p. part. sal. c, 15.

homo in peccata labitur ex vitio fragilitatis humanæ, ita resurgere debet à peccatis in brachio Fortitudinis divinæ; & sicut superbia initium est omnis peccati, ita *Humilitas* decus innovat animi contriti.

II. Confessarius triplex officium gerit, Judicis, Patris, ac Medici: (*e*) Illi ergo debetur *honor*, *amor*, & *fiducia*. Turpis, & monstrosa res est, confessio peccatorum superba. Quid enim absurdius esse possit, quàm ibi laudem quærere humanam, ubi propriam fateri oportet ignominiam? Qui confitetur, reus est, testis, & accusator sui ipsius. Si *Reus* est, quomodo superbire potest? Si *Testis* est, quomodo aliquid occultare audet? Si *Accusator* est, quomodo se excusare præsumit? (*f*) Confessio pecca-

cato-

(*e*) Ludovic. de Pont. tom. 3. de perf. tract. 5. cap. 1. toto. (*f*) Viexmon. de pœnit. p. 4. cap. 3.

catorum ſincera amorem Confeſſarii tui erga te non minuit, ſed auget. Tua teipſum humilitas in corde illius exaltat. Peccata tua ſuorum illum peccatorum admonent, quæ vel fecit, vel facere potuit, & adhuc faceret, niſi DEUS id impediret. Tuam is odit iniquitatem, te verò ex corde diligit, ac tuæ condolet infirmitati.

III. Neſcio, ſuperbiórne ſit, an imprudentior, (g) qui peccata ſua, quibus ineſt turpitudo quædam, eáque lethalis, confitetur adeo obſcuré; ut neque ſpeciem exprimat, neque numerum adjungat. Sic enim Confeſſarium cogit eadem interrogare, quæque non ſatis explicata ſunt, eruere: ad quæ pœnitens non ſine moleſtia tenetur reſpondere. Unde duplex illi pro una confuſione obtingit con-

(g) Pinellus. lib. 2. de pœnit. cap. 3. §. 6.

confusio. digna profectò tali superbiâ merces. (*h*) Insignis humilitatis actus est, ea peccata, quorum aliquem pudet, proferre clarè, sincerè, ac fideliter, & quidem, si velit, statim ab initio confessionis; præsertim, si peccata sint castitati contraria.

IV. Ne tibi plus æquo credas, si forsan ea, quæ dixi, (*i*) peccata levia videantur esse, aut etiam nulla: facillimè enim fieri potest in re tam lubrica, & periculosa, ut leve putetur delictum, aut nullum. quod à partè rei grave est, & magnum. Atque adeo ex præpostera verecundia tua confessio fiat inutilis, ac sacrilega. (*k*) Non oportet scrupulosum esse, sed cautum. Si habuisti cogitationes impuras & parùm fuisti negligens in iis

(*h*) S. Bonav. in spec. discipl. apud Roderic. part. 3. tom. 4. cap. 4. (*i*) Alphons. Roderic. part. 3. tr. 4. cap. 4. (*k*) Idem loc. cit.

iis rejiciendis, ſateri hoc potes; peccâſti enim venialiter. Si inſuper moroſè delectatus, vel ulteriùs progreſſus es, ſateri hoc debes, quia peccâſti mortaliter. (*l*) Si verò nullum omnino peccatum agnoſcis, nihilominus tentationem indicare utile eſt: ſic enim humilitatis actum exerces, ſervandæ caſtimoniæ apprimè idoneum.

V. Frequens Confeſſionis comes ſolet eſſe, (præſertim apud adoleſcentes) verecundia, (*m*) ſeu timor aliquis amittendæ, ſeu minuendæ exiſtimationis ſuæ apud Confeſſarium. Pudor iſte continuè obverſatur illis, atque in aurem ſuſurrat. „Quid tuus de te „cogitabit, quid dicet Confeſſa„rius, ſi hoc vel illud reſcierit, „audierit? quàm longè alius nunc „illi videberis, quàm antea viſus „es?

(*l*) Caſſian. coll. 2. c. 10. (*m*) Ludov. de Ponte, tom. 1. de perf tract. 3. art. 5. §. 2.

,es ? &c. Si tale quid sentis in te, ne tuæ te pudeat verecundiæ: oritur enim ex ingenua indole, quæ sicuti à peccato nondum commisso multùm absterret, ita sceleris admissi dedecus vehementer abhorret.

VI. Dolendum potiùs esset, si nihil tale experireris in te: (n) quem enim peccâsse non pudet, quique nullam ex peccato confusionem timet, vel serviliter est natus, vel illiberaliter educatus, vel pessimè moratus. (o) Certè timor ille vel pudor ex se nec malus est, nec bonus, sed pro bono, malóve ejus usu prodesse potest, aut nocere. Malis est causa ruinæ spiritualis per confessionem sacrilegam: bonis verò est occasio magni meriti per generosam sui victoriam:

(n) Viexmon. de Pœnit. part. 4. cap. 2. & 3. (o) S. Gregor. lib. 12. mor. cap. 10.

riam: (*p*) qui enim verecundiam hanc amore DEI superat, in partem satisfactionis illi reputabitur, & quò major erit difficultas & pugna, eô majorem reportabit fructum ex obtenta victoria.

VII. Si accidat, (*q*) ut Confessario tuo, quacunque ex causa impedito confiteri nequeas, libenter accede ad alium, eique animo-sè omnia peccata, sicut Ordinario soles, expone, etiam ea, in quibus aperiendis majorem sentis difficultatem: ita enim superatur natura, vincitur superbia, decipitur Dæmon, placatur DEUS, gratia acquiritur, virtus augetur. (*r*) Non licet uni Confessario peccata primùm venialia confiteri, & alteri deinde mortalia: (*s*) Licet autem

(*p*) Pinellus lib. 2. de Pœnit. cap. 2. §. 9. (*q*) Barry in Solit. hag. die 3. diff. mat. §. 3. (*r*) Suarez. d. 22. f. 1. n. 22. (*s*) Villalob. tom. 1. tract. 9. diff. 35. num. 1.

autem uni priùs confiteri mortalia, & alteri poſtea venialia: (t) Sed uni eidémque confiteri ſimul & venialia, & mortalia abſolutè meliùs eſt, atque conſultum. *Primum* ſacrilegam malitiam continet: (u) *ſecundum* ſuperbiam ac hypocriſin redolet: *tertium* cordis contriti, & humiliati indicium eſt.

VIII. (x) Præſtat pluribus ac diverſis confiteri bene atque integrè, quàm uni ſoli malè ac ſacrilegè: laudabilius tamen & fructuoſius eſt, unum; eúmque ſtabilem habere Confeſſarium, cui ſemper bene, plenéque confitearis peccata tua, quique conſcientiæ tuæ perfectam notitiam habeat. (y) Pœnitens vagus ſua quidem peccata exonerat, peccatorum tamen fibras

(t) Pinellus lib. 2. de Pœnit. cap. 2. §. 9. (u) Dicaſtillo tom. 2. de Pœnit. d. 1. dub. 18. (x) Nierenb. doct. aſcet. lib. 2. doct. 1. cap. 4. (y) Arias lib. de freq. comm. c. 11. §. Loquor autem.

fibras, & radices nunquam evellit: seipsum enim juvare non potest, & ab alio juvari non vult. (z) Æger, qui temerè medicos mutat, non tam sanitatem videtur quærere, quam cum morbo suo ludere. Mirabilis superbia est, ut unius confusionem effugias, coram multis velle confundi. Tamdiu stabile probitatis tuæ testimonium habes apud alios, quamdiu stabilem habere te vident Confessarium. Si quando Confessarios variare incipis, & ipsi suum de te judicium variare præsumunt. Cave, ne tibi fiat injuria.

IX. Sicut temerè vagari per confessionalia turpe est, (a) ita vitio non caret, æquo pertinaciùs uni semper adhærere Confessario. Confessarium mutare subinde necessitas

(z) Ludovic. de Ponte. tom. 1. de perf. tract. 3. cap. 8. §. 2. (a) Barry. in anno sancto part. 3. cap. 3. pro 17. Jolum pram. 2.

cessitas jubet, quandoque ratio suadet: utrique cordatus homo libenter se accommodat. (*b*) Et verò id DEO ipsique Confessario non displicet. DEUS enim pro gloria sua, & commodo nostro omnia ordinat, & huic ejus ordinationi omnis Confessariorum voluntas atque opera deservit. Ex eo, quòd sæpius huic vel illi confessus es, nullum cum eo pactum inivisti, aut contractum. Liberè ad tuum accessisti Confessarium, liberè potes ab eodem, si velis, recedere: is venientem benignè recepit, recedentem etiam benignè dimittet. Suam Confessarii Pœnitentibus ita exhibent operam, ut hanc volentibus libenter impendant, nolentibus haud quaquam obtrudant.

X. (*c*) In Confessario fiducia

(*b*) Sucquet. in via vit. ætern. lib. 3. cap. 10. de conf. prax. 2. (*c*) Barry. in Solit. hag. die 3. diss. mat. §. 3.

habenda eſt, familiaritas cum illo non expedit. An & quando extra confeſſionem adeundus ſit, temetipſum interroga; quid pietas ſuadeat, quid exigat neceſſitas. (*d*) In rebus perplexis ac dubiis meliorem Ducem ac Conſiliarium habere non potes, quàm eum, cui tuam credidiſti conſcientiam, quíque tui curam gerit, & quotidie DEUM pro te orat. Sine præſcitu & conſenſu Confeſſarii, ſuadeo, ne facilè votum concipias, ſtatum mutes, aut extraordinariam corporis afflictionem aſſumas, præſertim, ſi hæc diuturna futura ſint, aut perpetua. (*e*) *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis*, ait Eccleſiaſticus.



CA-

(*d*) Theſaur. precum. l. 4. c. 8. §. Tertia cura. (*e*) Eccli. 32. 24.

CAPUT III.

De Prudentia & Discretione Pœnitentis.

I.

Confessio, seu potiùs is, qui confitetur, debet esse Prudens & Discretus. (*f*) *Prudens* in rebus agendis, ut omnia ritè atque ordine fiant: *Discretus* in rebus omittendis, ut nulli errores, nulla peccata interveniant. In leges *prudentiæ* peccat, qui sua peccata obiter tantùm cogitat, inscitè narrat, temerè confundit, nugis miscet, atque ineptiis. Virtute *discretionis* caret, quia sua delicta sic recenset; ut proximo inferat injuriam, Confessario pariat molestiam, suámque ipse lædat animam.

(*f*) Alvarez. tom. 1. part. 1. de fug. per. cap. 7. §. 2.

II. Consentaneum est, (*g*) ut confessio fiat situ humili, hoc est, genibus flexis; nisi fortè pœnitens staturâ parvus, aut corpore debilis sit, ita, ut necessariò aut stare, aut sedere, aut jacere debeat. (*h*) Faciem non directè ad Confessarium, sed parùm obliquè tenere oportet. Vox ita moderanda est, ne tam clara sit, ut foris à circumstantibus audiri possit, neque ita submissa, ut à Confessario percipi nequeat. Ne velis ægrè ferre, si Confessarius id, quod intelligere non potuit, te jubeat repetere: Hoc enim ad integritatem confessionis spectat, ut peccata non modò dicantur integrè, sed etiam audiantur: debet enim Confessarius peccata tua dijudi-

(*g*) Gaudier. part. 5. de perf. num. & caus. sent. 11. cap. 12. §. ac primò.
(*h*) Thesaur. precum. lib. 4. cap. 6. §. Confessarium ubi.

judicare: & verò quomodo id fiat, ſi ea non intelligat?

III. (*i*) In ipſo Confeſſionali Confeſſarium familiariùs ſalutare, ei *bonum diem*, aut *felix novi anni auſpicium* apprecari, res tam abſona, & ſtolida eſt, quàm ſi Reus aſtans tribunali propinaret vini hauſtum ſuo Judici in ſanitatem ejus. (*k*) Non eſt pulchrum verbis nimis pulchris & exquiſitis in confeſſione uti. Loquere hìc, ut alibi communiter ſoles, ita, ut ſermonem nec eleves, neque deprimas. Si nequeas latinè, dic germanicè, aut alio idiomate tibi, tuóque Confeſſario noto: ſi neſcis emendatè, ſcito, ſolœeiſmum vel barbariſmum in confeſſione facere, nec eſſe peccatum mortale, nec veniale.

(*i*) Amuſſis conſcient. part. 2. §. Darum dann. (*k*) Adrian. de confeſſion. cap. 2.

IV. Ad prudentiam pœnitentis ſpectat, (*l*) ſemper afferre materiam idoneam, ac ſufficientem pro Sacramentali abſolutione; hoc eſt, unum vel plura peccata, quæ ſint certa, atque indubitata, ſive ab ultima confeſſione commiſſa ſint, ſive in alia jam dicta, & expiata. Contra hoc agunt *primò* illi, qui mera peccata dubia confitentur. *Secundò*, qui meros ſcrupulos proponunt. *Tertiò*, qui ſe tantùm de generalibus imperfectionibus accuſant. *Quartò*, qui nihil aliud afferunt, quàm defectus aliquos, qui ſolùm conſilio, non præcepto, qui virtutis perfectioni, non ipſi virtuti repugnant; aut qui contra legem quidem ſunt, non tamen obligantem ſub culpa, ſed ſolùm ſub pœna. *Quintò*, qui de nullo omnino peccato ſe volunt accuſa-

(*l*) Layman. lib. 5. t. 6. cap. 3.

cusare, ajúntque nullius se sibi peccati esse conscios.

V. Valde decens est, (*m*) ut, quantùm salvâ confessionis integritate, fieri potest, res illæ, quæ turpitudinem continent, verbis honestioribus proferantur; uti sunt peccata contra urbanitatem commissa, & agnomina multùm indecora. Si breviter dicas: „Inurbanus fui: scurrile verbum „dixi; alteri dedi agnomina &c. Sufficienter te explicas, neque porrò opus est, ut addas, quomodo fueris inurbanus, scurrilis, vel quæ convitia dixeris. Peccata item castitati contraria, quantum fieri potest, proferri debent honestè, ita tamen, ut malitia peccati non tegatur. Tutius est (si aliter non possis) minùs curare decentiam verborum,

 quàm

(*m*) Pinellus lib. 2. de pœnitent. c. 2. §. 7.

quâm errare in plena & debita narratione delictorum.

VI. Breviter benéque confiteri, virtus est: (*n*) hanc qui habet, Deo gratias agat, qui non habet, videat, ut acquirat: paulatim suam confessionem ita discat attemperare, ut nec nimis longa sit, nec nimis brevis: nam nimia prolixitas fastidium habet, nimia brevitas periculum: (*o*) Sola ergo mediocritas laudem meretur, ac curam postulat: hanc obtinebis, si studueris ita resecare superflua, ut necessaria non omittas.

VII. Multa verba Confessionem reddunt longiorem, (*p*) non semper meliorem: magis enim subinde deserviunt excusationi suipsius, quàm delictorum accusationi. Veritas involucris verborum nec gaudet, nec eget. Quod potes dicere verbis tribus, cur proferas triginta? Dic rem, uti

(*n*) Gers. 2. p. de Cogn. pec. conf 19.
(*o*) Blosius §. 1. & 4. (*p*) Pinellus l. 2. de pœn. c. 3. §. 1.

uti eſt. Pauca verba ſufficient. Quid opus eſt, (q) longas pertexere hiſtorias? impertinentes narrare circumſtantias? mille afferre ſcrupulos? déque omni humana imperfectione ſe prolixè ad nauſeam usque accuſare.

VIII. Sed interim cavendum eſt, (r) ne, dum quis timet committere imprudentiam, ſuam imprudenter lædat conſcientiam. Melius eſt, parum agere contra decorum, quàm animum ſervare inquinatum, aut valde afflictum: id age, quod coram Deo hîc & nunc agendum eſſe judicas. Si ex inſcitia vel imprudentia contingat te errare, ſcire debes, Confeſſario tuo non deeſſe patientiam, quâ id benignè ferat; neque ſcientiam, quâ id peritè corrigat. (s) Ne te offendat, quorundam in confitendo mora longior, ſed cum patientia ſuſtine eam prolixæ exſpectationis moleſtiam, pro tuorum indulgentia

 deli-

(q) Adrian. de conf. c. 2. (r) Barry in ſol. bag. die 3. diff. mat. §. 4. (s) Barry loc. cit.

delictorum. Conſcientiæ hominum valde inæquales ſunt ac diverſæ; unde nec idem modus, nec idem tempus æqualiter cum omnibus ſervari poteſt.

IX. Inter cathedram, (t) & confeſſionale non diſtinguunt, qui longas poſt confeſſionem exhortationes expectant. Imprudentiæ cujusdam, & fere ſuperbiæ indicium eſt, ſemper velle, ut Confeſſarius animum ſolatio ſpirituali demulceat.

X. Si te poteſt enarrationem peccatorum Confeſſarius alloquatur, (u) pium ſuggerens documentum, grato id animo accipe. Si verò id facere omittat, ne puta, id rectè non fieri: ſi quid eſſet, quod monendum, dicendúmve judicaret, utique non ſileret: contentus eſto ſacramentali abſolutione, & reconciliatione cum DEO.

(t) Amuſſis conſc. punct. 8. §. Iſt auch eine verhinderliche. (u) Lud. de Ponte tom. 10. de perf. tr. 3, c. 9. §. 2.

IV.
PARS
DE
PŒNITENTIA
SEU
SATISFACTIONE
PRO
PECCATIS.

I.

Pœnitentiam agite: facite fructus dignos pœnitentiæ. *Matth. cap. 3. v. 2. Luc. c. 3. v. 8.*


II.

Quieſcite agere perversè & diſcite benefacere. *Iſai. c. 1. v. 16.*

III.

Diſſolve colligationem impietatis: ſolve funiculos deprimentes; & omne onus diſrumpe. *Iſaiæ c. 58. v. 6.*

CA-



CAPUT I.

De Pœnitentia à Confessario injuncta.

I.

POenitentia (juxta definitionem S. Thomæ) (y) *est compensatio DEO facta ad tollendam pœnam temporalem , quam debet pœnitens pro peccatis suis.* Pœnitentia hoc modo definita dividitur in *Sacramentalem* & *Non-Sacramentalem*: Illa est , quam Sacerdos pœnitenti in confessione injungit: ista quam pœnitens sibi ipse ex ultronea electione assumit. Nos hîc, relictâ posteriore, solummodo agemus de priore.

(y) S. Thom. in addit. q. 12. a. 3.

II. Pœnitentia à confeſſario injuncta majoris meriti eſt, (z) quàm aliud pium opus ex devotione vel obligatione ſuſceptum: (a) hæc enim, cùm pars ſit Sacramenti, confert gratiam, & veniam meretur peccatorum non tantùm ex opere operantis, ſed etiam, (uti loquuntur in ſcholis) ex opere operato. Unde aliqui ſpiritualis lucri cupidiores pro peccatis ſuis etiam parvis magnam ſibi à Confeſſario poſtulant injungi pœnitentiam.

III. Ut ſibi nimis miſericors, ita Confeſſario ſuo crudelis eſt, (b) qui ſibi pro magnis peccatis parvam vult dari pœnitentiam: talis enim cupit, ut Sacerdos parcendo homini offendat DEUM, ſibíque noceat, dum ſuæ negligit ſatisfacere obligationi.

IV. Con-

(z) Salutius in 1. p. port. ſal. c. 24.
(a) Vaſquez. q. 94. a. 2. dub. 5. (b) Paludan. in 4. diſt. 20. q. 2. a. 2.

IV. Consilium Tridentinum hac de re sic loquitur. (c) *Debent Sacerdotes Domini, quantum spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares, & convenientes satisfactiones injungere; ne, si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* (d) Ex verbis adeo ponderosis collige magnitudinem obligationis, quam in foro hujus judicii habent Confessarii.

V. *Nulla regula sine exceptione.* (e) Habent subinde Confessarii justas causas, cur clementiùs cum pœnitentibus procedant. Id quod si etiam tibi contingat, ne propterea minùs nocentem te putes, vel

(c) Trident. sess. 14. cap. 8. (d) Reginald. tom. 1. lib. 7. n. 12. (e) Castropal. p. 4. de Sacrament. t. 23. punct. 21. §. 3. n. 8.

vel Confessarium tuum nimis clementem: non enim fas est, ut Judex damnetur à reo, & confitens judicet Confessarium. Quid si onus, quod humeri tui sustinere non valent, suis ipse imponeret lacertis? tibi daret tria *Pater & Ave*, & sibi reservaret tres disciplinas? cogita id fieri, & nihil temerè judicabis de tuo Confessario.

VI Non licet pœnitenti omnem omnino pœnitentiam recusare: (*f*) sed tenetur aliquam (saltem levem) acceptare, præsertim si medicinalis sit. Turpe est, pœnitentiam peccatis congruam invitè ac morosè suscipere; turpius, hanc fastidiosè recusare; turpissimum, de hac insuper apud alios invidiosè conqueri. (*g*) Negandum tamen non est, licitum esse,

(*f*) Dicastillo tom. 3. de pœn. d. 14. dub. 2. n. 26. (*g*) Gerson operum p. 2. in reg. mor,

se, pœnitentiam justo graviorem ac valde difficilem summissè deprecari, confessarium de impedimentis (quæ forsitan ignorat) admonere; eúmque rogare, ut, quam dedit, pœnitentiam, in aliam commodiorem velit commutare: id quod haud dubie ad tam humilem & discretam petitionem libentissimè faciet.

VII. (*h*) Pœnitentiam datam ab uno confessario potest alius confessarius justa de causa commutare in aliam, etiam non auditis peccatis, pro quibus illa pœnitentia injuncta fuit. (*i*) Quivis tenetur implere pœnitentiam acceptatam, secundum substantiam, & quidem, si gravis est, sub pecato mortali; si levis, (*k*) sub veniali tantùm, etiam si imposita fuerit pro peccatis mortalibus.

VIII.

(*h*) Tamburinus. lib. 4. cap. 3. §. 3.
(*i*) Diana in summ. V. pœnitent. num. 15.
(*k*) Layman. lib. 5. t. 6. c. 15. n. 7.

VIII. (*l*) Pœnitentiam pro peccatis venialibus impoſitam non implere, peccatum eſt tantùm veniale, ſive ea gravis ſit, ſive levis. (*m*) Quod item dicendum eſt de pœnitentia neglecta, quæ pro peccatis mortalibus in alia confeſſione jam deletis injuncta fuit. Pœnitentiam implens in peccato mortali, (*n*) non peccat mortaliter, privatur tamen gratiâ, & merito ſatisfactionis, quamdiu in tali ſtatu perſeverat.

IX. Conſultum eſt pœnitentiam primo, quo fieri poteſt, (*o*) tempore implere, præſertim ſi parva ſit: non autem requiritur, ut id fiat ante ſacram communionem. (*p*) Si Confeſſarius certum pœnitentiæ tempus præſcripſit, ſervari

(*l*) Suarez. d. 38. ſ. 7. n. 4. (*m*) Diana in ſumm. V. pœnitent. (*n*) Dicaſtillo d. 14. dub. 10. n. 60. (*o*) Gaſtrop. p. 4. de ſacr. tom. 23. punct. 21. §. 4. num. 12. (*p*) Hurtadus de Sacram. pœn. d. 14. diff. 1.

vari id debet: si verò diebus aliquot ex legitima causa illud prævenias, vel subsequaris, nullo modo peccas: at si sine (q) causa justa id facias, peccatum veniale committis. (r) Si Pœnitentia nulli certo tempori affixa est, citra peccatum mortale differri potest fere per annum. (s) Qui illam sine causa nimis diu, non tamen ultra annum differt, peccat tantùm venialiter.

X. Quando Confessarius pœnitentiæ injungendæ oblitus est, mone illum, si hoc ipsum tibi in confessionali occurrat. Si verò è confessionali ita discessisti, ut vel nulla pœnitentia tibi injuncta fuerit, vel injunctæ amplius non recorderis, poteris aut statim redire ad Confessarium, si commodè fieri possit; vel id differre

(q) Sanch. disp. sel. 13. n. 9. (r) Fernand. p. 1. doc. 4. num. 5. ex cap. omnis. (s) Diana p. 2. t. 15. ref. 53.

ri deteriorem : Neque labi in ea peccata, ad quæ fragilitas humana suomet pondere inclinat. Ut autem vivas securiùs, tres innocentiæ tuæ Custodes appone: Humilitatem, Patientiam, Timorem DEI.

II. Singulare DEI beneficium esse crede, ac fatere, (u) quòd hactenus à gravioribus peccatis conservatus es; ídque non tuæ, sed uni DEI bonitati adscribe, memor illius, quod D. Augustinus ait. (x) *Tua O Domine, gratia & misericordia prævenit me, liberans me ab omnibus malis, salvans à præteritis, suscitans à præsentibus, & muniens à futuris, præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones & causas. Quia, nisi tu hoc fecisses, ego omnia peccata mundi fecissem: quoniam scio, Domine, quod nullum peccatum est, quod unquam:*

(u) Landsp. in Enchir. mil. Christ. t. 61. §. 4. (x) S. August. in soliloq. c. 16.

quam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si Creator desit, à quo factus est homo: sed quòd non facerem, tu fecisti, quòd abstinerem, tu jussisti &c.

III. Habet hoc amabilis Christi charitas in more positum, (y) ut eos, quos præ aliis charos habet, quique illi fideliùs serviunt, permittat quandoque salubriter affligi, vel rerum penuriâ, vel corporis invaletudine, vel hominum contemptu, vel animi desolatione, scrupulis, perplexitate &c. Quare, si tale quid experiaris, noli tristari, noli terreri, nam *diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.* (z) Summopere cave, ne propter mala, quæ pateris, declines à via virtutis, & quæras solatium in peccatis, miserum sanè solatium atque omni cala-

(y) S. Paulus ad Hebr. 10. 36. & 12. 5. Apoc. 3. 19. Prov. 3. 11. (z) 1. Cor. 16. 16.

calamitate nocentius. (*a*) *Beatum* illum Chriſtus pronunciat, *qui non fuerit ſcandalizatus in illo.*

IV. Vehementer oro te, (*b*) ne velis ex eorum eſſe numero, qui, cùm audiunt vel legunt, hoc vel illud non eſſe peccatum mortale, ſed veniale ſolùm, confeſtim in id ſine ſcrupulo proruunt, quaſi res levis ſit momenti, venialem noxam committere. Qua in re haud dubiè graviſſimè decipiuntur, ſibíque plurimùm nocent: nam inter omnia mala, quæ dici, cogitarive poſſunt, poſt peccatum mortale, nullum majus eſt, peccato veniali, illo præſertim, quod ſcienter ac meditatò committitur.

V. Damna peccatorum venialium in compendio habe. (*c*) Illa Deum offendunt, Spiritum Sanctum,

(*a*) Luc. 7. 23. (*b*) Grannatenſis in Duce pec. l. 2. p. 1. c. 12. (*c*) Taulerus inſt. cap. 2.

ctum, & Angelos contristant, Dœmones exhilarant, proximum scandalizant, communitati obsunt, animam fœdant, conscientiam cruciant, tentationes augent, vires animi enervant, gratiarum fontes obstruunt, orationis vim retundunt, fervorem charitatis imminuunt, materia impediunt, pœnas hujus & alterius vitæ accumulant, gloriæ cœlestis thesauros expilant, (*d*) &, quod omnium deterrimum est, ad majora & graviora peccata disponunt.

VI. Si lapsus es in graviora peccata, (*e*) quæ per confessionem ritè peractam expiâsti, scire debes, confessione tolli quidem reatum culpæ, reliquias tamen illius penitus non auferri: remanet enim inclinatio naturalis ad lapsum; concupiscentia, seu fomes peccati

(*d*) Vide infra part. 8. cap. 1. 2: De damn. pecc. ven. (*e*) Amussis conscient. punct. 21. §. Insonderheit aber.

cati non ſtatim extinguitur; pravi habitus etiamnum vigent; neque occaſiones extrinſecæ eo ipſo ceſſant; Dæmon æquè ferox eſt, imò ferocior, quàm antea; & multùm plerumque pœnæ temporalis reſtat; unde ſæpe propter præcedentem ingratitudinem auxilia DEI parciùs homini conceduntur.

VII. Si morbum depuliſti per humilem confeſſionem, (f) ne pigeat morbi relicta ſymptomata curare per ſeriam vitæ emendationem. Sed ne putes, hanc conſiſtere in eo, quòd nullam poſthac enſurus es tentationem: (g) granlis enim hæc eſt deceptio: adeo, it is, qui nimiam ſibi pollicetur ecuritatem à tentatione, facillimè elabatur in peccata, & proximus t ruinæ.

E VIII. Di-

(f) S. Bern. de modo bene vivendi. ſ. 27.
) Gerardus Magnus in vita à Thom. de mpis ſcripta. c. 18. n. 20.

VIII. Diligenter *præpara animam tuam ad tentationem*, (h) sine qua nemo vivit, nemo vincit, & nemo coronatur. Hoc unum veræ emendationis est argumentum, si causas peccandi studiosè vites, tentationibus animosè resistas, eásque gloriosè superes. (i) Tentationes DEUS ita moderari solet, ut cum iis faciat proventum, neque aliquem tentari permittat ultra id, quod potest. Tua semper tibi manet libertas; neque unquam tibi deest DEI bonitas, ex quo sufficiens oritur potestas resistendi cuivis tentationi, quantumvis diuturnæ ac gravi. Dæmon allicere potest, natura impellere, consuetudo trahere, occasio invitare; sed, si tu ipse nolis, nulla vis, aut potestas te invitum ac reluctantem cogere ad peccandum potest.

IX. Si

(h) Ecclef. 2. 1. (i) 1. Cor. 11. 13.

IX. Si cadas, cedásque hosti tuo, ne alium, quàm temetipsum accusa. (*k*) Plùs tua tibi nocet ignavia, quàm omnis Dæmonum malitia: plus obest tibi abjectio animi, & parva fiducia in Deum, quàm omnis occasionum illecebra, & vehementia tentationum. Tibi ergo, tuæque desidiæ primum bellum indicito, si victoriam de tuis hostibus reportare desideras, Nunquam satis firma, tutáque est animæ sanitas, quam non munit, ac fulcit vitæ sanctitas. Tamdiu vitiis ac peccatis eris obnoxius, quamdiu in virtutibus & bonis operibus fueris negligens & remissus. (*l*) Aude aliquid dignum DEO, & *æmulare charismata meliora*: adhære DEO per amorem & fiduciam, & omnem superabis hostis insidiantis

 astu-

(*k*) Arias lib. de freq. comm. cap. 2. §. horum unus est. (*l*) 2. Corinth. 12. 31.

astutiam: (m) *apprehende scutum & arma*, hoc est, adhibe ea media, quæ numero sequenti sunt annotata.

X. Aptissima contra quævis peccata remedia sunt, (n) *primò*, Oratio fervens, & frequens ad DEUM, Beatam Virginem, & Sanctos. *Secundò*, Fuga occasionum, etiam remotarum peccandi. *Tertiò*, Honesta & utilis occupatio. *Quartò*, custodia sensuum, oculorum præcipuè, aurium, & linguæ. *Quintò*, Mortificatio interiorum affectuum, eorum maximè, qui te vehementius infestant. *Sextò*, Moderata corporis afflictio. *Septimò*, Lectio librorum spiritualium, non tam ex curiositate, quàm pietate suscepta. *Octavò*, Quotidiana conscientiæ examinatio.

(m) Psalm. 34. 2. (n) Thronus Justitiæ. sect. 5. §. 2. & 3.

tio, præsertim examen, quod vocant, particulare. *Nonò*, confessionis, & sacræ Communionis frequentatio. *Decimò*, Filialis fiducia, & frequens recursus ad Patrem spiritualem seu Confessarium. (o) Hæc fortis est armatura, qua sine nemo unquam victor evasit, & quacum nemo unquam victus est.



(o) Vide infrà, p. 10. cap. 3. num. 6 7. 8. 9. 10.

CAPUT III.

De relapsu in peccata.

I.

SI relabaris in ordinarias tuas imperfectiones & in peccata venialia etiam paulò graviora, (*p*) dolere quidem ex animo potes, quia DEUM offendisti: sed nimium tristari non convenit, ita, ut inquietus fias ac pusillanimis: (*q*) hic enim animi plùs æquo dejecti mœror DEO non placet: (*r*) est enim partus superbiæ, & soboles amoris proprii, magísque oritur ex timore pœnæ, quàm ex horrore culpæ. Cogita te hominem esse, lutum fragile, *testam de Samiis terræ.* (*s*) Novit DEUS figmen-

(*p*) S. Aloysius in vita illius lib. 2. cap. 15. §. 3. (*q*) S. Climacus grad. 7. (*r*) Cassian. lib. 10. cap. 4. (*s*) Isaiæ. 45. 9. Psalm. 102. 14.

gmentum suum, ac licet *videant*
uli ejus *imperfectum tuum*, (*t*) te
amen scriptum habet, servátque
n manibus suis, atque in libro vi-
æ, cum aliis sanctis, bonísque
ominibus annotatum.

II. Vult DEUS, (*u*) ut ho-
nines in hac vita semper spem in-
er ac metum versentur, non ni-
miùm securi, neque nimis anxii.
Nimia securitas præsumptionis ma-
ter est, & nimia anxietas despe-
rationem parit. (*x*) Magis timen-
da est desperatio, & minor fidu-
cia in DEUM ex peccatis prove-
niens, quàm ipsa peccata, ex qui-
bus illa diffidentia & desperatio ori-
ri solet.

III. Væ tibi, si talis es, (*y*)
qui sæpiùs peccas mortaliter, &

 amo-

(*t*) Psalm. 138. 16. (*u*) Thom. à Kempis. lib. 1. de imitat. Chri. cap. 20. §. 3. (*x*) S. Bern. de modo bene vivendi. ser. 27. (*y*) Salvianus lib. 3. de provid.

amorem peccandi nunquam seriò deponis, qui tuam diligis miseriam, eámque pro felicitate habes, ac multùm times, ne cogaris eam amittere: ac proinde media respuis, medicos fugis, Deo resistis, tibi indulges, pericula amas, occasiones quæris, colludis cum Dœmone, pactum inis cum inferno & morte. (z) Væ, inquam, væ tibi, si talis es, verè enim miser ac miserabilis es, quia miseriæ tuæ remedium non habes. DEUS te adjuvet: tecum ulteriùs non loquor.

IV. Ad illos mihi sermo est, qui peccant graviter, & peccata sua fideliter confitentur: (a) postea verò in eadem relabuntur, non quidem sine malitia (qua sine nullum peccatum committi potest) sed magna simul ex fragilitate, quam

(z) Isai. 28. 17. (a) Arias de thesaur. inexhaust. tr. 9. c. 41.

quam facit tentatio vehemens, naturalis proclivitas, consuetudo inveterata: tales licet suâ culpâ cadant, faciliùs tamen à culpa resurgunt, & feliciùs à morbo curantur.

V. Principium sanitatis est, ægritudinem nôsse suam: magnam spem suæ habet incolumitatis, qui suæ sibi calamitatis est conscius: jam respirare incipit, qui suam sperans emendationem, peccatis suis ingemiscit; quia suam miseriam deplorat, liberationem desiderat, periculum timet, relapsum cavet, media quærit, medicos amat; qui per experientiam didicit, quàm *acerbum*, (*b*) *atque amarum sit, reliquisse Dominum DEUM suum*; qui sæpius ex corde intra semetipsum dicit: (*c*) *Usquequò, Domine, exaltabitur inimicus meus super me? quamdiu poenam*

(*b*) Jerem. 2. 19. (*c*) Psal. 12. 3.

nam consilia in anima mea, dolorem in corde meo per diem.

VI. Si (quod DEUS avertat) contingat, (*d*) te iterum in peccatum mortale labi, citò resurge; cave, ne sol occidat super malitiam tuam: ne des somnum oculis tuis, donec per contritionem & confessionem reconcilieris iterum DEO: ne mensem exspecta, imò nec hebdomadem: magnum enim periculum huic inest moræ. (*e*) Quid si hac statim horà, aut saltem hoc die adhuc confitereris? Certe in perniciem suam audax est, qui cum peccato mortali, Deóque sibi irato dormire potest, accubans ad puteum interitus, & quidem æterni.

VII. Ne-

(*d*) Landsper. in Pharel. divin. amor. mihi pag. 213. & in enchirid. milit. Christ. cap. 59. num. 1. (*e*) Ludovic. de Pont. tom. 1. de perf. tract. 3. cap. 7, §. 1.

VII. Nescio, an sola contritio sine confessione securum te facere possit. (f) Quid si dolor, quem habes, dolor esset imperfectus, ex metu gehennæ prognatus? Vera contritio non nisi ex puro DEI amore profluere debet: interroga cor tuum, an talem in te habeas? Crede mihi; confessio securior est: sine hac manebis tristis, & inquietus, (g) &, quod miserrimum est, valde proclivis ad plura & majora peccata.

VIII. Si decies, si centies, si millies relabaris, fac decies, centies, & millies resurgas: (h) iterum, iterúmque confitere, & quidem non diversis, sed uni ac stabili Confessario. In eundem relapsus es morbum; ad quem

 ibis

(f) Pinellus. lib. 2. de pœn. cap. 2. §. 13. (g) Ludov. de Ponte. loc. cit. (h) Petrus Sanchez. p. 4. de regno Dei cap. 7. ex vitis. PP.

ibis confidentiùs, (*i*) quàm ad eum, qui te ſanavit jam ſæpius, agnoſcit meliùs, curabit faciliùs; Patientia Confeſſarii tui nondum exhauſta eſt, quia neque DEI miſericordia finem habet. (*k*) Si DEUS, cui ſoli tu peccâſti, tibi paratus eſt dare veniam, cur Confeſſarius tuus, qui & ipſe peccator eſt, dare nolit abſolutionem?

IX. Refugit mens tua toties ad eundem, cum iisdem redire peccatis? ita ſanè, (*l*) ſi mente non cares, ſentire debes. Sed vincat horrorem exiguæ confuſionis timor æternæ damnationis & amor ſalutis tuæ, quæ in magno diſcrimine verſatur. Ægritudo multum periculoſa non niſi difficili, & amarâ potione curari poteſt. Fate-

(*i*) Arias de freq. com. c. 21. §. aliud remedium. (*k*) Viexmont. de pœnitent. p. 4. c. 7. (*l*) Tertullianus in libro de pœnitent.

Fatere delictum tuum cum dolore, & cum humilitate exſpecta Judicis tui ſententiam: Si taceat Confeſſarius, téque abſolvat, cogita eum tuæ condeſcendere infirmitati. (*m*) Si leniùs te corripiat, moneátque, libenter auſculta, quia paternus amor & commiſeratio hoc facit. Si aſperiùs te objurget, ſi terreat minis, patientiam habe; *triſtitia*, quam inde percipis, *ex Deo eſt*, (*n*) *& ſalutem operatur*. Peritus medicus *vino* mederi debet, & *oleo*, hoc eſt, lenire: & ſævire, prout ægroti conditio id exigit, & ſpes ſanitatis affulget.

X. Si Confeſſarius propter nimis frequentem relapſum omnino te nolit abſolvere: dolorem oſtende, emendationem promitte; fortaſſis exaudiet te. Si nihilominus patiaris

E 7

(*m*) Ludovic. de Ponte. num. 1. de perf. tract. 3. artic. 9. (*n*) 2. Cor. 7, 10. (*o*) Luc. 10, 34.

tiariſ repulſam, accipe medelam; proderit hæc tibi, ſi ſeriò ſanari exoptas. Suſtine pauliſper dilationem; interea contine te, redi iterum, & accipe abſolutionem.



V. PARS

V.

PARS

DE

ALIIS REBUS

AD

PŒNITENTIAM

SPECTANTIBUS.

I.

Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis eſt, celat amici commiſſum. *Prov. c. 11. v. 13.*


II.

Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. *2. Cor. c. 1. v. 12.*

III.

Non erit hoc tibi in ſingultum, & ſcrupulum cordis. *1. Reg. c. 25. v. 31.*

CA-



CAPUT. I.

De Sigillo Confessionis.

I.

INterest pœnitentis scire aliquid de Sigillo Confessionis, (*p*) cùm id potissimum in ejus favorem sancitum sit. (*q*) Est autem hoc Sigillum *obligatio quædam Confessario imposita, occultandi omnia ea, quæ illi per confessionem innotuerunt*, uti sunt, (*r*) peccata mortalia, & venialia, circumstantiæ item peccatorum, & quidquid pœnitens ad suorum declarationem pecca-

(*p*) Amussis consc. pun. 20. (*q*) Coninck. tom. 1. de sacrament. d. 9. dub. 1. (*r*) Layman. lib. 5. tom. 3. c. 14. n. 4.

peccatorum dixit, sive id necessarium fuerit, & utile, sive non.

II. Obligatio hæc adeo magna est, (s) ut nulla alia possit esse major, vel in Ecclesia Christi, vel in mundo hoc universo: quippe cùm Confessario nec propriæ vitæ, nec regni alicujus integri conservandi gratiâ revelare liceat aliquod peccatum à pœnitente in confessione auditum.

III. Quin imò si Confessarius aliquis, (t) rumpendo Sigillum Confessionis, unius tantùm levis peccati revelatione salvare ac redimere posset omnes, quotquot sunt in inferno condemnati, non tamen illi permitteretur. Præterea nulla est potestas in mundo sive sæcularis sive Ecclesiastica, quâ cogi possit Confessarius ad manifestandam alicujus

(s) S. Thom. in 4. dub. 21. quæst. 4. artic. 1. (t) Pinellus. lib. 2. de pœnit. cap. 13.

cujus confessionem, & sacrum illud sigillum violandum.

IV. (*u*) Confessarius frangens sigillum confessionis duo gravissima peccata mortalia committit: unum *sacrilegii*, contra virtutem religionis, & reverentiam Sacramento debitam: (*x*) alterum *injustitiæ*, contra virtutem infusam justitiæ, non servando pactum virtuale, quod inter ipsum & pœnitentem intercedit de servando secreto in omni casu absque ulla exceptione. (*y*) Et insuper violator sigili confessionis gravissiis pœnis fori externi subjacet.

V. Præter Confessarium, (*z*) (ad quem sigillum Confessionis principaliter spectat) etiam aliæ personæ obligantur, non quidem sub

(*u*) Diana. p. 5. t. 11. ref. 2. (*x*) Lugo de Sacram. pœn. d. 23. s. 1. n. 17. & 18. (*y*) Castrop. p. 4. tom. 23. d. 1. punct. 19. num. 13. (*z*) S. Thom. in 4. dub. 12. q. 3. art. 3.

ſub ſigillo confeſſionis, uti ſacerdos, ſed ex fidelitate & ſecreto naturali, idque ſub peccato mortali. (*a*) Tales ſunt *primò*, is, cui aliquid ex confeſſione ſacrilegè revecatum eſt. (*b*) *ſecundò*; qui, dum alius confiteretur, aliquid ex ejus confeſſione, vel caſu, vel curioſitate intellexit. *Tertiò*, qui ſcriptam confeſſionem reperit, eámque legit. (*c*) Si tamen in hac peccata ſint levia tantùm, nec infamantia, (*d*) non videtur peccare mortaliter, ſi lecta evulget.

VI. Confeſſarius extra confeſſionem nihil agere poteſt, (*e*) aut debet ex notitia rerum illarum, quas in confeſſione percepit. (*f*) Et hæc cauſa eſt, cur Confeſſarii ſollicitè

(*a*) Lugo. lib. ſect. 2. num. 49. (*b*) Dicaſtill. tom. 2. de pænit. tom. 8. & 22. dub. 3. num. 27. (*c*) Diana 3. p. t. 4. reſ. 122. (*d*) Layman. lib. 5. t. 6. cap. 14. n. 19. (*e*) Idem loc. cit. (*f*) Lugo lib. cap. ſect. 5. num. 104.

licitè cavere debeant ne propter peccata in confeſſione audita omittant v. g. conſueta benevolentiæ ſigna erga pœnitentem ; ne de illo minùs honorificè loquantur apud alios, frigidiùs eum laudent, poſt ponant aliis &c. (*g*) Certè gravis error foret, ſi Confeſſarius aliquem propter audita in confeſſione delicta impediret à conſecutione beneficii, aut favoris alicujus, à promotione ad officium, dignitatem, conditionem, ſtatum, &c.

VII. Sciendum tamen eſt, (*h*) notitiam confeſſionis non impedire Confeſſarium, quò minus uti poſſit notitiâ aliunde hauſtâ : modò illa hanc non adjuvet, neque aliquod ſcandalum inde naſcatur. Unde Præfectus Gymnaſii non ageret contra Sigillum confeſſionis, ſi puniret diſcipulum propter delictum,

(*g*) Caſtrop. lib. cap. §. 3. num. 20. (*h*) Valentia in 4. d. 7. q. 13. p. tr.

ctum, quod ei ille ipse discipulus confessus fuit, id tamen ipse Præfectus aliunde v. g. ex relatione condiscipuli extra confessionem intellexit. Similiter Concionator licitè reprehendit peccata publicè ex suggestu, quæ sæpius quidem audivit in confessione, sed independenter ab hac, ea ipsa peccata æquè vel magis habet cognita v. g. ex narratione aliorum, lectione librorum &c. modò caveat, ne quâdam insolitâ exaggeratione peccati certi, vel incautâ circumstantiarum enarratione justam auditoribus causam præbeat suspicandi, eum loqui ex scientia confessionis, hanc vel illam personam suggillare &c.

VIII. Consultum est, ut, si extra confessionem cum Confessario tuo de rebus à confessione alienis loqui velis, aut debeas, ita te cum illo geras, ac si nunquam illi esses con-

confessus. (i) Certè DEI voluntas est, & Ecclesiæ ordinatio, ut Confessio peccatorum remissioni deserviat, non hominum conversationi, vel administrationi negotiorum, aut gubernationi externæ, si tibi forsan incidat, hoc vel illud fieri dicive â Confessario tuo ex notitia confessionis tuæ, eam cogitationem ceu temerariam & periculosam expelle: cùm enim obligatio sigilli res tam magna sit, & ejus violatio scelus adeo grande, nemo (sine gravissima causa, & morali quasi certitudine) præsumere debet, Confessarium adeo rudem esse atque indoctum, ut suam nesciat obligationem; vel adeo malum, atque impium, ut contra eam cum sacrilegio velit agere.

IX. In uno tantùm casu licitum est Confessario revelare aliquid ex con-

(i) Clemens VIII. & Claudius Aquaviva apud Laym. l. 5. c. 6. t. 14. n. 22.

confessione: (k) quando nimirum ipse pœnitens dat licentiam, (l) & quidem formalem, atque expressam; tacita enim, vel interpretativa licentia non sufficit. (m) Sine tali licentia Confessarius (ut dictum) extra confessionem ne cum pœnitente, nec de illo quicquam loqui potest concernens peccata, vel alia in confessione audita: (n) etiamsi hoc vergat in bonum ipsius pœnitentis.

X. Quare, (o) si quis extra confessionem de rebus ejusmodi cum Confessario suo loqui, vel agere velit, debet illi, vel tunc, vel in prævia aliqua confessione dare facultatem; idque verbis claris, atque expressis, dicendo v. g. „Mihi gratum erit, Si, Ra, Va. Nunc,

(l) Tanner. dub. 6. q. 9. num. 125. (m) Fagund. p. 2. lib. 6 cap. 1. num. 14. (n) Castrop. p. 4. tom. 23. punct. 19. §. 3. num. 13. (o) Diana p. 5. t. 11. res. 40. & 42. (p) Castrop. loc. cit.

„Nunc vel ſi proximè ad eam ve-
„nero, uti velit notitiâ peccatorum „meorum, aliarúmque rerum, quas „à me in Confeſſione audivit. Quid ſi pro majore ſecuritate hanc ei facultatem in annua generali Confeſſione pro toto anno concederes? (*q*) At ſcire debes, eum hac licentiâ non facilè uſurum, niſi cùm denuò illam expreſſè dederis, (*r*) aut tu ipſe ultrò inceperis de rebus ejusmodi loqui.

CAPUT II.

De conſcientia & Regulis conſcientiæ.

I.

CONſcientia (prout hìc accipitur) eſt *dictamen rationis*, (*s*) ſeu

(*q*) Plura infrà p. 10. c. 3. ad finem.
(*r*) Lugo de ſac. pœn. diſp. 23. ſect. n. 131.
(*s*) Bardus diſc. 1. de Conſc. c. 2. n. 3.

seu actus intellectûs, quo judicamus aliquid hìc & nunc agendum, vel omittendum esse, tanquam bonum, vel malum &c. Ex qua definitione apparet Conscientiam aliquo modo esse duplicem; *aliam*, quæ versatur circa res bonas, ùt prosequendas; & *aliam*, quæ versatur circa res malas, ùt fugiendas. Et verò hæc ultima hujus propriè est loci, de qua proinde relictâ priore, potissimùm hoc capite agetur.

II. Conscientia denuò quadrifariam dividi solet, (*t*) in *Veram*, *Dubiam*, *Erroneam*, & *Perplexam*. Conscientia *vera* est, (*u*) quâ quis illud pro peccato habet, aut non habet, quod à parte rei peccatum est, aut non est; mortale, pro mortali; veniale, pro veniali. (*x*) Conscientia *dubia*

(*t*) Layman lib. 1. tom. 1. cap. 3. n. 2. 3. 4. (*u*) Oviedus tom. 5. contr. 1. cap. 6. (*x*) Salas tract. 8. disp. un. p. 2. d. 5. cap. 1.

dubia est, quâ quis dubitat, an hoc vel illud, peccatum sit, an non sit; mortale, an veniale? (*y*) Conscientia *erronea* est, quâ quis illud pro peccato habet, quod peccatum non est, aut pro peccato non habet, quod peccatum est; mortale item pro veniali; veniale pro mortali. (*z*) Conscientia *perplexa* est, quâ quis id, quod necessariò facere, vel omittere debet, pro peccato seu mortali, seu veniali habet, sive id faciat, sive ommittat.

III. Conscientia duplici modo potest esse dubia, erronea, (*a*) perplexa. *Primò*, cum, culpa; *secundò*, sine culpa. Conscientia *culpabiliter* dubia, erronea, & perplexa est, qnando dubium, error, aut perplexitas ob hominis incuriam non amovetur, cùm amoveri facilè posset. Conscientia *inculpabi-*

(*y*) Bardus disc. 3. de consc. cap. 1. num. 1. (*z*) Layman. l. c. (*a*) Idem loc. cit. num. 2.

pabiliter dubia, erronea & perplexa est, quando dubium, error, aut perplexitas amoveri nequit, tametsi homo id facere vellet. Quo casu Conscientia vocatur *invincibiliter* dubia, erronea, perplexa &c.

IV. (*b*) Sicut *testimonium conscientiæ nostræ* (teste S. Paulo) *est gloria nostra*, si nimirum juxta illam operemur bene: sic etiam testimonium conscientiæ nostræ est ignominia nostra, si nimirum contra illam operemur malè: (*c*) Nam omnis operum nostrorum sive pulchritudo sive indecentia provenit ex bona vel mala conscientia, seu potius ex conformitate aut difformitate cum ea, (*d*) quod usque adeò verum est, ut etiam opera mala fiant bona; & bona fiant mala, si quis ob conscientiam invincibiliter erroneam mala habeat pro bonis,

(*b*) 2. Cor. 1. 12. (*c*) S. Thom. 1. 2. q. 19. a. 3. & 4. (*d*) Durand. in 2. d. 39. q. 5. a. 3.

bonis, aut bona pro malis. Et hoc est, quod S. Paulus ait. (e) *Quod non est ex fide, peccatum est.* Per *fidem* enim intelligit, *judicium conscientiæ* quo credimus, aliquid bonum esse, aut malum.

V. Conscientia lux est, (f) & lex interna proveniens à luce & lege æterna: hæc radius est quidam Divinitatis, & omnis honestatis imago: hæc regula est vita, hæc norma disciplinæ, magistra virtutum, vitiorum inimica; (g) hanc quisquis sequitur, per regiam ambulat viam, & suo semper magis appropinquat Creatori: hanc quisquis deserit, in avia pergit & toto denique aberrat cœlo. (h) Ex hac generali doctrina specialia quædam eruuntur documenta, tibi Lector Benevole, non tantùm utilia, sed neces-

(e) Rom. 14. 23. (f) S. Dorotheus in lib. de conscientia. (g) Richardus in 4. d. 3. c. 3. q. 3. (h) Bresserus l. 2. de consc. recta. cap. 2.

necessaria quoque, si tua verè vis nosse peccata. Hæc autem sequentibus exhibentur paragraphis.

VI. Qui invincibiliter ignorat, (i) rem aliquam esse illicitam, graviter prohibitam, & mortaliter peccaminosam, non peccat mortaliter, rem illam cum tali ignorantia faciendo: unde, si postea primum intelligat, rem illam esse peccatum mortale, non tenetur factum suum confiteri, quia non peccavit, nisi materialiter. (k) Similiter ille, qui novit quidem, rem aliquam peccatum esse, sed dum illam facit, ei sine sua culpa non occurrit, peccatum esse, non peccat, nec factum suum confiteri tenetur.

VII. Qui ex errore vincibili, vel invincibili putat, (l) rem aliquam

(i) S. August. de lib. arb. c. 8. (k) Thom. Sanch. l. 1. mor. cap. 16. n. 24. (l) Gaudier. p. 5. de pers. nat. & caus. sect. 11. cap. 13.

quam peccatum mortale esse, quæ tamen à parte rei tale peccatum non est, peccat mortaliter, si cum tali errore rem illam faciat. (*m*) Et licèt postea intelligat, rem illam à parte rei vel nullum omnino peccatum esse, vel certè non mortale, nihilominus tenetur factum suum confiteri, dicendo, se, quando id commisit, putâsse, esse peccatum mortale.

VIII. Qui dubitat, (*n*) an res aliqua sit peccatum mortale, & cum tali dubio operatur, peccat mortaliter, sive res illa à parte rei peccatum sit, sive non: (*o*) tenetúrque confiteri illud, tametsi postea intelligat, vel nullum, vel tantùm veniale peccatum esse; dicendo, se tunc, quando illud fecit, dubitâsse, an esset peccatum mortale.

(*m*) Diana pars. 4. tom. 4. ref. 162. (*n*) Navarrus c. qualitas num. 18. d. 5. de pœnit. (*p*) Vasquez in p. 2. d. 59. cap. 3. num. 10.

IX. (p) Qui circa gravitatem vel levitatem peccati errorem vel ignorantiam vincibilem habet, tenetur hunc errorem & hanc ignorantiam vincere, ſeu deponere: alioquin ſic operando non excuſabitur à peccato. (q) Si aliquis eò perplexitatis deveniat in re aliqua, ut eam ſive faciendo, ſive omittendo putet ſe peccare mortaliter; eóque errore nec per ſe, nec per alium liberare ſe poſſit, eligere debet, id quod minùs malum ei videtur: (r) quod ſi neque hoc poſſit diſcernere, non peccabit, quidquid egerit: *nemo enim neceſſitate peccat.* Sed caſus iſte rarus eſt.

X. (s) Si tibi Confeſſarius tuus, vel alius vir doctus ac probus dicat, hoc vel illud in his vel illis circumſtantiis non eſſe peccatum mortale: tutò potes ei credere: & ſi ex tali fide ac

(p) Granadus p. 2. contr. 2. tr. 12. diſp. 7. ſ. 5. (q) Franc. de Lug. p. 3. theol. c. 1. q. 7. n. 31. (r) Caſtrop. tom. 1. de conſ. d. 1. p. 5. n. 2. (s) Suarez. t. 5. d. 40. ſ. 5.

ac opinione operis, non peccas mortaliter: nec teneris factum tuum confiteri. Idem puta, si hoc legas in probato aliquo autore. (t) Si à duobus viris doctis, probis ac prudentibus duas contrarias sententias audias, quarum una affirmat, hoc vel illud esse peccatum mortale; altera negat, esse peccatum mortale; potes huic vel illi tutò credere, téque alterutri sententiæ accomodare prout volueris. (u) Si velis credere, non esse peccatum mortale, faciendo id non peccabis mortaliter, etiamsi sententia contraria, dicens esse peccatum mortale, (x) videatur tibi melior esse & verior, atque etiam à viro doctiore, prudentioréque prolata: idem puta si tale quid legas in duobus Authoribus approbatis.

(t) Azor. tr. 1. l. 2. c. 26. q. 2. (u) S. Antoninus p. 1. tit. 3. c. 10. §. 10. (x) Tanner. p. 2. d. 2. q. 4. n. 20.

CAPUT III.

De scrupulis.

I.

SCrupulosi in triplici fere ordine sunt. (*y*) Aliqui enim *bonos scrupulos* habent, dum Deum offendere valde timent, offendisse multùm dolent, ac proinde peccata sollicitè cavent; ídque sine mentis anxietate, & cordis inquietudine: tales laudem merentur, & aliâ curâ non indigent, quàm ut piam hanc sollicitudinem per omnem vitam conservent, & scrupulos tam sanctos nullo unquam tempore deponant.

II. Alii

(*y*) Hugo Roth. in via reg. p. 1. c. 12. sect. 3.

II. Alii *scrupulis* aguntur *malis ac vitiosis*; (z) dum sine causa & sine modo ubique peccatum timent, etiam ubi nullum est, ídque magna cum animi perplexitate ac molestia: tales, si bonâ voluntate sint prædití, neque ægrè se regi sinant, commiserationem merentur, & facili negotio curantur. Si autem scrupulis accedat judicium obstinatum, pertinax incredulitas, arrogans inobedientia, sanari difficulter queunt, & in magno salutis suæ versantur discrimine.

III. Sunt etiam, (a) qui in una alteráve re sunt valde scrupulosi, in aliis verò rebus admodum liberi & laxi, (b) *excolan-*

(z) Salutius in 3. pars port. Sal. cap. 1. (a) Garæus. super 9. inst. Gass. cap. 9. (b) Matth. 23. 24.

probabili: quia scrupulosus non judicat, neque putat, se hìc & nunc peccare, sed tantùm apprehendit, ac timet peccatum; ad eum fere modum, (*e*) quo aliquis in loco solitario ac tenebroso spectat ac lemures formidat, non quòd tales adesse judicet, sed quia hi quasi præsentes phantasiæ occurrunt, quam corrigere homini subinde etiam cordato difficile est. Certè ex experientiâ constat, viros sæpe doctos, perspicaci ingenio, limatóque judicio præditos scrupulorum molestiam pati, non quia circa peccati notitiam errant, sed quia phantasiam suam peccati timore occupatam emendare non valent.

V. Differt item (*f*) *Scrupulus* à *Dubio*:

(*e*) Salutius in pars 3. port. sal. c. 9.
(*f*) Azor. lib. 2. instit. mor. cap. 20. quæst. 2.

Dubio : quia ſcrupuloſus, licèt ex una parte hæreat, ac timeat, ne fortè peccet, atque adeo non omni dubitatione careat : ex altera tamen parte abſolutè judicat, ſe non peccare; idque vel ex certa ratione, vel ex probabili diſcurſu : id quod illi, qui verè dubius eſt, non accidit : talis enim neutri parti aſſenſum præbet, ſed hæret quaſi in ſuſpenſo, dum pro neutra parte rationes probabiles, vel pro utraque æquè probabiles habet.

VI. Scrupuloſus, (*g*) ſi à moleſtia ſua liberari velit, audacter contra vanas apprehenſiones ac timores peccati operari debet, (*h*) ex certa ſcientia, licitum eſſe & conſultum, imò quandoque etiam neceſſarium, contra ſcrupulos operari.

(*g*) Breſſerus lib. 6. de conſc. ſcrup.
(*h*) Gerſon. operum p. 2. tr. de præp. ad miſſ. com. 6.

sperari. (*i*) Nunquam judicet esse peccatum, nisi id certò deprehendat, & juramentô quasi confirmare audeat. (*k*) Ea solùm confiteatur, quæ manifestò peccata esse cognoverit, non item dubia, & scrupulos. Confessarium non de quibusvis dubiis consulat, sed sæpe propriis rationibus ac regulis à Confessario præscriptis utatur, ad depellendos scrupulos. (*l*) Quam primùm animo scrupulus exoritur, prudente aliquâ ratione rejiciat, nec cogitatione foveat.

VII. Confessiones non repetat: (*m*) sed postquam semel, aut Confessarii judicio, aut suo saltem probabili integrè confessus fuisse visus est, acquiescat. (*n*) Persuadeat sibi, quòd unusquisque judicio, vel consilio Con-


(*i*) S. Antoninus p. 2. tom. 3. c. 10. §. 10. (*k*) Sanch. l. 1. mor. c. 10. n. 82. (*l*) Cajetan. v. scrupul. medic. (*m*) Henriq. l. 5. c. 3. n. 4. (*n*) Rosignolius l. 2. de persev. Christ. perf. c. 18. §. sit igitur.

IX. Utile consilium est P. Pauli de Barry, (r) ut, qui scrupulis affliguntur, singulari quâdam religione ferantur in cultum S. Josephi, & S. Ignatii, eorum opem quotidie implorent pro liberatione à scrupulis: id quod etiam postulare poterunt, quoties in missa sanctissima Hostia elevatur, & populo monstratur.

X. Nulla res scrupulosum æquè juvat, (s) atque ingens in Deum fiducia; longanimis patientia, & cæca quasi resignatio in Dei voluntatem. Si omnia adhibuisti media, si multas ad Deum preces fudisti, & nondum à malo tuo liberatus es; noli ideo contristari, vel indignari contra Deum. Novit ille conatum tuum, afflictionem, & patientiam tuam. Crede mihi, erit tempus (& fortè brevi) cùm inquieto dicetur mari. (t) *Usque huc venies, & non proce-*

(r) Barry in sol. hag. die 3. diss. mat. §. 10. (s) Salutius, in 3. p. port. sal. c. 12. (t) Job. 38. 11.

procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Nunc multi sunt in cœlo, & quiete fruuntur pacatissimâ, qui turbulentis olim, dum viverent, scrupulorum agitati sunt procellis. Abstersit DEUS omnem lachrimam ab oculis eorum, & transtulit eos in portum securæ felicitatis, ubi nullus amplius est luctus, nullus dolor, & nulla anxietas: modò coronantur, & accipiunt palmam, seu præmium longæ, quam habuerunt, patientiæ. Nunc lætis vocibus exultant, illúdque cum gaudio ingeminant. (u) *Defecit in dolore vita nostra, & anni nostri in gemitibus. Lætati sumus pro diebus, quibus nos humiliâsti, annis, quibus vidimus mala.*



VI. PARS

(u) Ps. 30. 11. (x) Ps. 89. 15.

VI.
PARS
DE
PECCATIS
ET
IMPERFECTIO-NIBUS.

I.

Utinam appenderentur peccata mea in ſtatera! *Job. c. 6. v. 2.*


II.

Arguet te malitia tua, & averſio tua increpabit te. *Jerem. c. 5. v. 29.*

III.

Quis eſt, ut ſciam, quid deſit mihi? *Pſalm. 38. v. 5.*

CA-



CAPUT I.

De peccatis & imperfectionibus in genere.

I.

PEccatum mortale eſt *prævaricatio legis DEI graviter obligantis.* (y) Peccatum veniale eſt *transgreſſio legis DEI leviter obligantis.* Quænam autem lex gravem, quæque levem obligationem habeat, atque adeo quænam res legi repugnans, ſit peccatum mortale, aut veniale, haud ita facile eſt, definire. Quorundam gravitas peccatorum ita manifeſta eſt, ut ea cuivis

(y) Caſtrop. par. 1, tr. 2. d, 2. pun. 4. num. 4.

vis etiam rudi atque indocto appareat. Aliorum autem ita obſcura, ut etiam perſpicaces, doctíque viri de ea dubitent, aliter atque aliter ſentiant, ac loquantur. Multùm ad peccatorum cognitionem facit ſtudium Theologiæ moralis, lectio librorum hac de re ſcriptorum, collatio cum viris doctis; ſed omnium maximè fervens oratio, & frequens petitio luminis divini: juxta exemplum ſancti Job, DEUM ita precantis. (z) *Quantas habeo iniquitates & peccata? ſcelera mea, & delicta mea oſtende mihi.*

II. Ad omne peccatum tria requiruntur, (a) quorum ſi vel unum deficiat, aut peccatum erit nullum, aut non grave. *Primò* debet fieri voluntariè. *Secundò*, ſcienter. *Tertiò*, deliberatè. Ex defectu *voluntarii* non peccant illi, qui contra

(z) Job. 13. 23. (a) Buſenb. lib. 5. cap. 1. dub. 1. reſp. 2.

contra ſuam voluntatem illicitas cogitationes, vel imaginationes patiuntur in animo, vel turpes commotiones in corpore, & appetitu ſenſitivo. Ex defectu *ſcientiæ*, ſæpè à peccato excuſantur pueri, & homines valde rudes, qui rem aliquam lethaliter malam faciunt, neſciunt tamen vel non cogitant eſſe talem. Ex defectu *deliberationis* peccare nequeunt amentes, dormientes, ebrii, ſi rationis uſu ſint penitus deſtituti. Item ſemifatui, ſemiſopiti, ſemiebrii ſæpe propter imperfectam deliberationem excuſantur à peccato mortali, quod alioquin tale foret, ſi cum plena deliberatione fieret.

III. *Tribus modis*, ait S. Gregorius Magnus, (*b*) *impletur omne peccatum, videlicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. Suggeſtio fit per diabolum, delectatio per carnem, conſenſus per*

(*b*) S. Gregor. in reſp. ad 11. interr. Auguſtini Cant. Epiſc.

per spiritum. Et necessaria magna discretio est, ut inter suggestionem, delectationem, & consensum judex sui animus præsideat, cùm enim malignus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omni modo perpetratum non est. Cùm verò caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci; si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur peccati semen est: in delectatione fit nutrimentum: in consensu perfectio. Et sæpe contingit, ut hoc, quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat, & cùm caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat, nec consentiat, & tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat.

IV. Quàm multæ tollerentur anxietates in foro conſcientiæ, (c) & magnæ vitarentur incommoditates in ſacramento pœnitentiæ, ſi homines poſſent liberas cogitationes, & actus rationales bene diſcernere à brutis quibusdam incidentiis, atque irrationabilibus phantaſiis, quas, ſanctus Bernardus hunc in modum aptiſſimè depingit. (d) *Quæ verò ſecundo loco ponuntur cogitationes ſine intellectu, ipſæ ſunt vanæ illæ, & otioſæ non tam cogitationes, quàm ex veris, & imaginariis recordationibus ſimulacra quædam cogitationum, ſeu ipſæ recordationes ultrò, & multipliciter de memoria ſcaturientes; in quibus paſſio quædam voluntatis potiùs videtur eſſe, quàm actio, cùm nulla ſit in eis cogitantis intentio, cùm, quòd ſponte ebullit de memoria formante, offertur intellectui non curanti, & quidquid agitur, videtur potiùs*

(c) Joan. Sanchez. diſp. 24. num. 24.
(d) S. Bern. de vita ſolitaria ad fratres de monte Dei.

potiùs agi in somnio dormientis, quam in acie cogitantis.

V. Ex quo sequitur, has cogitationes, sive incidentias, quantumvis impiæ, (*e*) turpes ac blasphemæ sint, non tantum non esse peccata ob defectum humanæ libertatis, sed sæpe magnorum causas meritorum propter actum generosæ virtutis. *Felix anima*, ait idem S. Pater, *quæ peccatum sentiens, peccato non consentit, quam etsi cogitatio inquinat, ratio lavat pugnans, & repugnans legi peccati: molesta lucta est, sed fructuosa, quæ etsi pœnam habet, adhibet & coronam, imò quod sentientem fatigat, vincentem coronat: in hoc enim conflictu, ubi sensus est, non consensus, nihil damnationis est, juxta Apostolum, his, qui sunt in Christo JESU.*

VI. Sola interior voluntas sæpe est

(*e*) S. Bernard. lib. de conscient. S. de multiplici varietate cogitat.

est peccatum mortale, (f) tametsi nullum opus externum accedat: v. g. complacentia in suo vel alterius peccato: desiderium rei illicitæ etiam inefficax; propositum efficax peccandi. (g) Et talis interior voluntas in confessione dici debet, si in opus externum non prodiit: si verò peccatum externum reipsa secutum est, sufficit solùm externum opus confiteri, nullâ mentione factâ interioris voluntatis, utpote quæ peccato externo semper conjuncta esse scitur, ac præsumitur. (h) Ad hoc, ut aliquis peccet mortaliter, non requiritur, ut malitiam peccati, qua talem, ex instituto, directè ac studio velit: hoc enim pauci, nec nisi extremè mali faciunt: sed satis est, aliquid velle dicere, facere, cui nôsti mali-

 tiam

(f) Gaudier. p. 5. perf. n. & cauf. 11. cap. 8. §. ut verò. (g) Arriaga. 1. 2. t. 1. d. 1. f. 5. num. 38. (h) Layman. l. 1. t. num. 5. & seq.

tiam peccati, offensam DEI, injuriam proximi, semper annexam esse. Exempli gratiâ. (i) Qui se inebriat, non DEI offensam quærit, sed suam voluptatem: qui magnam pecuniæ summam furatur, non tam alteri obesse cupit, quàm sibi prodesse; & tamen uterque peccat mortaliter, quia, licèt malitiam peccati, offensam DEI, injuriam proximi directè non intendant, volunt tamen rem aliquam, cui mala prædicta indissolubiliter conjuncta esse, non ignorant: quod est contra legem ac nutum DEI, qui vult ac præcipit, ut malitiam non tantùm in se, sed etiam in causa sua detestemur & fugiamus.

VII. Peccatum mortale & veniale infinitam quasi inter se distantiam habent: (k) unde ex venialibus pecca-

(i) Lessius. de perf. div. lib. 1. 3. c. 26. num. 183. (k) S. Thom. lib. 1. 2. q. 72. a. 5. ad 1. Azor. lib. 4. instit. mor. cap. 9. q. 11.

peccatis, quantumvis multiplicatis, nunquam fit mortale. (*l*) Peccatum ex se mortale per accidens fieri potest veniale, vel ex imperfecta, & semiplena deliberatione, vel ex parvitate materiæ. *Prioris* exemplum est, delectatio carnalis in semisopito; *posterioris*, furtum rei modicæ. Peccatum ex se veniale per accidens potest fieri mortale: (*m*) si nimirum huic gravis malitia alterius peccati acccedat (*n*) Sic v. g. mendacium (quod ex genere suo tantùm veniale peccatum est,) fit mortale, si dicatur cum gravi damno alterius præviso, vel intento: tunc enim illi accedit malitia gravis injustitiæ.

VIII. Multùm prodest ad confessionem ritè peragendam probè nôsse discrimen inter *Peccatum* &

(*l*) Diana in summ. V. Peccatum n. 2. (*m*) Gastrop. pars. 1. tr. 2. punct. 5. num. 4. (*n*) Bresserus lib. 6. de conscient. cap. 9. num. 89.

Imperfectionem: (*o*) differt enim Peccatum ab Imperfectione, sicut species à genere. Nam teste Suarezio, *Imperfectio latiùs patet, quàm Peccatum.* (*p*) Unde, licet omne peccatum sit imperfectio, non tamen omnis imperfectio, est peccatum: (*q*) Dantur enim imperfectiones aliquæ, quæ peccata non sunt, & consequenter neque materia sufficiens pro confessione: (*r*) quamvis illæ cum laude, nec sine fructu quandoque in confessione dicantur, tum quia & ipsæ quandam habent inordinationem ac turpitudinem dolore & pœnitudine dignam: tum quia plerumque peccati sunt effectus, vel causæ, vel comites. (*s*) P. Nicolaus Lancicius

(*o*) Myrrhen-Berg. pag. 9. cap. 1. num. 1. (*p*) Suarez. tom. 4. de relig. tr. 8. lib. 1. cap. 3. n. 14. (*q*) Joan. Sanchez disp. 1. de sacrament. num. 1. (*r*) Lugo dist. 16. de Sacram. s. 2. §. 6. n. 102. (*s*) Lancic. opusc. spir. 3. c. 9.

us (qui fusiùs rem istam tractat) hunc loquitur in modum. *Aliud est peccatum, aliud imperfectio: & hæc quoque expiatione indiget: ac proinde non placet DEO, etiamsi propriè culpa & peccatum non sit.* Et verò suam is sententiam probat exemplis, firmat rationibus, & dictis antiquorum Patrum stabilit; quos inter S. Climacus hæc habet. (*t*) *Sunt apud Spirituales viros quædam plerumque vilissima vitia, mirâ dispensatione, relicta, quæ* sine peccato *sunt, ut se ipsos semper accusantes, humilitatis opes inviolabiliter acquirant.*

IX. Differentia peccati & imperfectionis mihi clarè videtur erui posse ex illis S. Pauli verbis. (*u*) *Obsecro vos, Fratres, per misericordiam DEI, nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in novitate sensûs vestri, ut probetis, quæ sit voluntas DEI bona, beneplacens, & perfecta.*

 (x) Jux-

(*t*) S. Climac. grad. 26. (*u*) Rom. 12.

(x) Juxta interpretes ſacræ ſcripturæ in hunc locum, *Voluntas* DEI Bona eſt, quæ jubet ſervare præcepta. *Voluntas* DEI Beneplacens eſt, quæ monet amplecti conſilia. *Voluntas* DEI Perfecta eſt, quæ ſuadet æmulari charismata meliora. Quemadmodum ergo triplex DEI voluntas eſt, ita & triplex ejusdem vel executio, vel transgreſſio; (y) & ſicut executio voluntatis DEI quocunque modo ſpectatæ, non poteſt non eſſe bona, ſancta & laudabilis, ita transgreſſio ejusdem voluntatis quocunque modo ſpectatæ non poteſt non eſſe mala, noxia, & vituperabilis. Atqui talis transgreſſio non ſemper eſt mala per malitiam culpæ ſeu peccati, ergo quandoque erit mala per malitiam alterius defectûs ſeu vitii, quod peccatum non eſt, & hunc defe-

(x) Cornel. à Lap. comment. in 12. Epiſt. S. Pauli. num. 100. (y) Nierenb. in vit. div. cap. 35. §. 12.

defectum, seu hoc vitium vocamus (appropriato quasi nomine) *Imperfectionem*. Certè in confesso est apud omnes, negligere consilia Evangelica, declinare à virtutis perfectione, nec esse peccatum mortale, nec veniale, & tamen fatentur itidem omnes, & hoc, & illud repugnare voluntati DEI, non quidem bonæ, seu præcipienti, sed perfectæ & beneplacenti. Da veniam, Amice Lector, si paulò prolixior sim. Ulteriùs sic discurro. Qui facit voluntatem DEI *bonam*, bonus est, & sicut famulus servit DEO ceu Domino suo, eíque reddit, quod debet. Qui facit voluntatem DEI *beneplacentem* pius est, & quasi filius colit Deum, ceu Patrem suum, eíque præstat, quod placet. Qui facit voluntatem DEI *perfectam*, sanctus est & sicut sponsa diligit DEUM, ceu sponsum suum, eíque offert omne; quod

habet. E contrario, qui violat *præcepta*, malus est, & sicut servus infidelis DEUM severè mandantem contemnit. Qui negligit *consilia*, ingratus est, & sicut degener filius DEUM paternè monentem rejicit. (z) Qui *charismata* spernit *meliora*, agrestis est, & sicut sponsa superba DEUM amicè blandientem à se repellit. Denique (ut clarè & breviter loquar) hac tota de re sic pronuncio. Violare præcepta contra voluntatem DEI Bonam, semper est peccatum aut mortale, aut veniale. Negligere consilia contra voluntatem DEI Beneplacentem, nunquam est peccatum ex se, sed sæpe causa vel effectus peccati. Omittere charismata meliora contra voluntatem DEI Perfectam, neque peccatum est, neque semper causa, vel effectus peccati, sed sæpe remota occasio seu via ad peccatum:

(z) 1. Cor. 12. 31.

catum: (a) qui enim summa sectari negligit, paulatim ad ima deflectit, & denique labitur in foveam peccati, qui noluit ascendere montem DEI, seu culmen Perfectionis.

X. Pro meliore notitia imperfectionum, (b) proderit aliquas earum species enumerare. Imperfectio est *primò*, vulgari aliquâ, seu mediocri virtute contentum esse, nec porro niti ad altiora. (c) *Secundò*, instinctus DEI vel hominum admonitiones ad perfectiora impellentes insuper habere. *Tertiò*, vocationem DEI ad sublimius vitæ institutum incitantis negligere, aut diu differre. *Quartò*, ea magni-facere, ac multùm amare, quæ mundus plurimi facit, impenséque diligit, hoc est, honores, volupta-

 tes,

(a) Cassianus coll. 6. cap. 17. (b) Casparus Tausch. lib. de sapientia Christ. cap. 12. §. 1. (c) Lancicius opusc. spir. 3. cap. 2.

tes, divitias. *Quintò*, ea fugere, atque abhorrere, quæ Christus ardenter quæsivit, amantérque amplexus est, hoc est, contemptum, dolorem, & paupertatem. *Sextò*, solatia honesta, & commoditates etiam licitas in victu, vestitu, habitatione, & in aliis ejusmodi rebus avidiùs optare, inquirere, atque usurpare. *Septimò*, de carentia dictarum rerum, aut de malis contrariis plùs æquo tristari, turbari, affligi. *Octavo*, illa media, quæ vel experientiâ, vel alio modo quis novit sibi esse valde utilia, & efficacia ad superandas tentationes; fugienda peccata, perseverandum in bono, ex parte, vel omnino negligere. *Nonò*, Regulas, statuta, & consuetudines bene ordinatæ communitatis, cujus ipse est membrum, non servare, licet sub peccato non obligent. *Decimò*, in rebus agendis incurium, remissum, ac

ac perfunctorium esse. *Undecimò*, ea dicere, aut facere, quæ morum civilitati, politicæ ac decoro adversantur. v. g. perturbatè, & præcipitanter loqui, coram aliis sedere pedibus decussatis, ambulare brachiis utrinque pendulis, manu sinistrâ comedere, bibere &c.

CAPUT II.

De peccatis & imperfectionibus in specie.

I.

MUltos passim reperire est catalogos, qui varias peccatorum & imperfectionum species minutim, & quasi membratim explicant, exenterántque, non sine fructu illorum, qui provectæ sunt ætatis maturíque judicii, & fortè multis peccatis implexi. At verò tam aperta & prolixa narratio peccato-

rum ætati lubricæ, sive adolescentibus, magnam partem, adhuc innocuis, sæpe periculosa est, aut certè fastidiosa. Placuit igitur in gratiam illorum paucis versiculis, ceu brevi compendio, complecti, quidquid peccatorum, & imperfectionum est, quibus ea potissimum ætas solet aut certè potest esse obnoxia: poterunt illi istorum subsidio carminum, in suorum venire notitiam criminum, si adjunctam non graventur, legere declarationem, quâ breviter dicta fusiùs explicantur. Versus autem sunt hi.

1. *Orando vagus: irreverens: sacrique neglector.*
2. *Impatiens: osor: jurans: rixator; & ultor.*
3. *Inflatus: spernénsque alios: séque, & sua jactans.*
4. *Indocilis parere: suis rectoribus asper,*
5. *Mendax: detractor: judex: turbator amoris.*

6. *Fur:*

6. *Fur: retinens aliena: nocens: & lusor iniquus.*
7. *Potator: nimiúmque vorax: scurrilis: amator.*
8. *Seducens alios: alieno in crimine consors:*

II. Primus versus continet. *Primò* peccata Acediæ, (*d*) qualia sunt v. g. Jactura temporis per otium, vel inutiles occupationes: negligentia in studiis, pensísque scholasticis persolvendis: iners & languida injuncti officii administratio: absentia à schola, congregatione, vesperis; concione: omissio auditionis sacri die festo, aut feriali: neglectus precum mane, & & vesperi, ante & post mensam, ad pulsum salutationis Angelicæ, agoniæ & mortis Christi: Omissio examinis conscientiæ, confessionis, & communionis præscriptæ, aliorum

(*d*) Acedia. vide infrà in hac parte. cap. 3. num. 2.

rum item ſive operum ſive orationum, quæ vel ex conſuetudine, vel ex gratitudine, vel ex voto, aut alia obligatione fieri debent, aut ſolent. (*e*) *Secundò* peccata Irreligioſitatis, qualia ſunt v. g. voluntaria diſtractio in oratione: irreverentia & garrulitas in templo, oratorio Congregationis, alióve loco ſacro. Confeſſio, & communio ſacrilega. Violatio voti, juratæve promiſſionis. Abuſus aut profanatio rerum ſacrarum &c. (*f*) Huc ſpectat hæreſis, dubitatio in fide, magia, ſuperſtitio, odium DEI, contemptus ſanctorum &c.

III. Secundus verſus continet *primò* peccata Iræ & Odii, (*g*) qualia ſunt v. g. Impatientia ex reprehenſione, vexatione, humiliatione, ſiniſtro rei ſucceſſu: Triſtitia in rebus

(*e*) Irreligioſitas. vide infrà c. 3. n. 3. (*f*) Alia huc ſpectantia. vid. infrà c. 3. num. 2. (*g*) Ira, odium. vid. infrà cap. 3. num. 3.

rebus adverſis. Puſillanimitas in negotiis gerendis. Diffidentia in DEUM. Murmuratio contra eum. Deſperatio de miſericordia DEI. Diſplicentia amara ex aliorum erratis, defectibus, imprudentiis. Ira ſeu cupiditas vindictæ ex offenſa ſive juſta, ſive injuſta. Immoderata reprehenſio, correctio, caſtigatio, percuſſio alterius. Averſio animi diuturna, & conſtans odium erga unum, vel plures. Vulneratio, occaſio injuſta &c. (b) *Secundò*, peccata Blaſphemiæ, Imprecationis, Juramenti, Convitii, qualia ſunt v. g. Contra DEUM aut Sanctos verba contumelioſa, vel injurioſa proferre. Sibi ipſi vel aliis grave aut leve malum imprecari. DEUM in teſtem *ſine judicio, juſtitia, aut veritate* vocare. Alios conviтiis, agnominibus, contumeliis laceſ-

(b) Blaſphemia. Imprecatio. Juramentum. Convitium. vide infrà, caput. 3. num. 4.

lacessere, &c. (*i*) Huc spectat irreverens sacrorum nominum appellatio: sacræ scripturæ traductio ad jocos. Audax & inverecunda nominatio earum rerum, à quibus honestæ aures, mentésque ingenuæ abhorrent. Prolatio verborum, quæ aliquam blasphemiæ, imprecationis, juramenti, convitii similitudinem habent. Omnes denique rixæ, contentiones, molestæ vexationes, acerbæ crises &c.

IV. Tertius versus continet *primò* peccata Superbiæ, (*k*) & Vanæ Gloriæ, qualia sunt v. g. Cupiditas excellentiæ propriæ, & eminentiæ super alios. Immoderatum studium placendi hominibus, & timor immodicus iisdem displicendi. Desiderium vanæ gloriæ, & laudis humanæ. Vana complacentia in rebus propriis, hoc est, in vestitu, nobi-

(*i*) Alia huc spectantia, vide infrà. c. 3. num. 4. (*k*) Superbia. Vana Gloria vide infrà cap. 3. num. 5.

nobilitate, ingenio, forma, dicto, factóque aliquo. Incessus arrogans. Sermo affectatus. Nimius corporis ornatus. Rerum suarum, suíque deprædicatio, jactantia in malo &c. (*l*) *Secundò* peccata Ambitionis & Invidiæ, qualia sunt v. g. Aperta, vel occulta prensatio dignitatis, aut honoratioris officii per inordinatum affectum, aut media illicita. Æquo major lætitia ex honore sibi delato, aut nimia tristitia ex irrogato contemptu. Pudor ex abjecta parentum conditione, vilitate vestium, deformitate corporis, rerum inopia, aliisve naturæ seu fortunæ defectibus. Dolor ex aliorum honore, felici progressu, promotione ad altiora. Gaudium ex aliorum humiliatione, calamitate, aversione aliorum ab iis. (*m*) Huc spectat pertinacia in proprio judicio; alter-

(*l*) Ambitio. Invidia. vide infrà. cap. 3. num. 5. (*m*) Alia huc spectantia. vide infrà. cap. 3. num. 5.

tercatio inutilis; nimia fiducia; temeritas; præsumptio; conatus immoderati; vitiosa singularitas, atque exoticus quidam agendi modus à moribus aliorum discrepans. Cordis & oris mutabilitas, nunc ineptè gaudentis in prosperis, mox abjectè dolentis in adversis &c.

V. Quartus versus continet *primò* peccata Inobedientiæ erga superiores, (*n*) qualia sunt v. g. Omissio, aut negligens executio rerum abiis præceptarum. Fallax circumventio Præceptoris, Pœdagogi, Parentis, Superioris. Contra eos, qui præsunt, indignatio, murmuratio, contradictio, obstinatio, rebellio, aliorum instigatio &c. (*o*) *Secundò*, peccata Irreverentiæ contra Majores. Qualia sunt v. g. Contumeliæ, Parentibus, Superioribus, Sacerdotibus, Senioribus aut clam, aut

(*n*) Inobedientia vide infrà. cap. 3. num. 6. (*o*) Irreverentia. vide infrà. c. 3. num. 6.

aut palàm, verbo vel facto irrogatæ: sannæ item, sarcasmi, & scommata quibuscunque hominibus illata. (*p*) Huc spectat petulans irrisio pauperum, ludificatio deformium, contemptus morbidorum, vexatio æqualium, depressio inferiorum.

VI. Quintus versus continet *primò* peccata Fraudis & Fallaciæ, (*q*) qualia sunt v. g. Mendacium cum damno, vel sine damno alterius; mendax, seu deceptoria simulatio. Æquivocatio & restrictio mentalis sine justa causa. Temerarium judicium: falsa suspicio &c. *Secundò*, peccata Detractionis, (*r*) & Susurrationis, qualia sunt v. g. Murmuratio de aliorum peccatis, vitiis, ac defectibus. Auscultatio detrahentium ac murmurantium. Propalatio criminis occulti. Delatio falsa

(*p*) Alia huc spectantia. vide infrà c. 3. num. 6. (*q*) Fallacia vide infrà. c. 6. num. 6. (*r*) Detractio Susurratio vide infrà. cap. 3. num. 6.

falsa alterius, aut etiam vera ex odio, vel vindicta. Seminatio discordiarum: pacísque perturbatio inter duos vel plures &c. (s) Huc Spectat Hypocrisis, seu sanctitas simulata. Politicus agendi modus. Proditio. Revelatio secreti. Pasquillus, seu libellus famosus &c.

VII. Sextus versus continet *primò* peccata Avaritiæ, (t) qualia sunt v. g. desiderium immoderatum lucri, nimius amor pecuniæ, divitiarum insatiabilis cupiditas. Anxia sollicitudo in bonis acquirendis, magna tenacitas in retinendis, illiberalis parcitas in elargiendis: timor inquietus de amittendis: mœror immodicus de amissis. Solutio creditoribus nimium dilata, aut omnino negata &c. *Secundò* peccata Injustitiæ, qualia sunt v. g. Furtum: (u) rapi-

(s) Alia huc spectantia. vide infrà. c. 3. num. 6. (t) Avaritia vide infrà. cap. 3. n. 6. (u) Injustitia. vide infrà. c. 3. num. 6.

rapina: injusta retentio rei alienæ: damnificatio: satisfactionis omissio pro damno illato. Fraudes in venditione, emptione, aut aliis contractibus &c. (x) Huc spectat affectus illiberalis erga amicos: ingratus animus erga benefactores: manus contracta erga pauperes; nimia parcitas erga seipsum. Effusa prodigalitas bonorum: expensæ inutiles studiosorum: officialium ac servorum infidelitas. Lusus prohibiti: deceptiones in lusu &c.

VIII. Septimus versus continet *Primò* peccata Gulæ & Immodestiæ. (y) Qualia sunt v. g. Excessus in potu, præsertim vini, sine vel cum ebrietate: commessatio & compotatio in locis prohibitis: frequens cogitatio, & sermo de cibo & potu. Nimis avidus & indecorus, copiosus, item nocénsque valetudini

(x) Alia huc spectantia. vide infrà. cap. 3. num. 6. (y) Gula Immodestia. vide infrà. cap. 3 num. 7.

dini ciborum ac potuum uſus Comeſtio intempeſtiva, aut loco inconvenienti: violatio jejunii: eſus carnis diebus prohibitis. Inepta lætitia: ſcurrilitas in verbo: inurbanitas in opere: ruſticitas in converſatione: aſperitas in ſermone: levitas in moribus: joci illiberales: verba ſacra indecenter prolata: Riſus nimis effuſus: clamor inconditus: greſſus inſolens: geſtus nugaces: petulans attactus aliorum: nocturna platearum obambulatio &c. (z) *Secundò*, peccata Senſualis Amoris, & Laſciviæ. Qualia v. g. ſunt Amor inordinatus erga pueros, vel puellas: curioſus, fixúſque aſpectus formoſarum facierum, præſertim diverſi ſexûs, imaginum item minùs caſtè pictarum, aut ſculptarum, rerum etiam aliarum, quarum intuitus periculoſus eſt, atque illecebroſus. Blanditiæ amatoriæ. Negli-

(z) Amor ſenſualis. Laſcivia. vide infrà, cap. 3. num. 7. & 8.

Negligens fuga occasionum & periculorum peccandi, negligens resistentia in tentatione carnis, morosa delectatio in cogitationibus impuris, Desiderium libidinosum, & consensus in opus incastum. Sermo vel cantus lascivus. Auditio rerum turpium: pictio, vel scriptio impura. Sui, vel alterius attactus vel aspectus obscænus: oscula puerorum, vel puellarum ex amore sensuali, vel cum oblectatione venerea &c.

IX. Nota, (a) Benevole Lector, multa alia peccata castitati contraria esse, quæ quidem huc spectant, sed coram Juvenibus taceri, ab iis verò nec cogitari, nedum fieri debent. Si tamen (quod DEUS avertat) fiant, in confessione distinctè quo ad speciem & numerum explicanda sunt. Qui propria rerum illarum verba ignorat,

(a) Alia huc spectantia. vide infrà. c. 3. num. 7. & 8.

que alterius peccato, per consilium, jussionem, consensum, invitationem, laudationem, taciturnitatem, conniventiam, defensionem &c. Huc spectat Abstractio, vel impeditio à rebus bonis, quas alius aut ex virtute facere voluit, aut ex obligatione facere debuit.

CAPUT III.

De Qualitate peccatorum & imperfectionum.

I.

PEccata, seu vitia jam recensita nec omnia sunt mortalia, nec omnia venialia, sed quædam mortalem, & quædam venialem malitiam continent; imò aliqua non nisi censui imperfectionum, seu defectuum inculpabilium annumerantur. Hæc autem diversitas peccatorum & imperfectionum desumi

debet partim ex natura singulorum, & oppositione virtutum; partim ex judicio hominum, & autoritate librorum; quibus fundamentis ea quoque, quæ sequitur, innixa doctrina est.

II. Peccata Acediæ tunc sunt mortalia, (d) quando ea negliguntur, quæ sub mortali peccato præcepta sunt: venialia, cùm ea omittuntur, quæ non nisi sub veniali culpa obligant: imperfectiones verò absque peccato sunt, quando virtutis perfectioni quidem, non tamen ipsi virtuti repugnant; quando item legi adversantur, non sub culpa, sed sub pœna solùm obliganti. Peccata Irreligiositatis ex natura sua, atque ut plurimùm sunt mortalia: (e) possunt autem esse, & verò sæpe fiunt venialia, sive ex parvitate materiæ. (f) Unde colli-

(d) Acedia. vide suprà in hac parte. cap. 2. num. 2. (e) Irrelegiositas. vid. sup. cap. 2. num. 2. (f) loc. cit.

colligis, inter ea peccata, quæ superiùs enumerata sunt, mortalia esse hæc: neglectum sacri die festo, omissionem rei voto sancitæ, si gravis sit: sacrilegium in confessione & communione commissum: hæresim, dubitationem in fide, superstitionem: magiam; odium Dei: contemptum sacrarum rerum aut Sanctorum &c. Reliqua verò venialia solùm, vel tales defectus, qui licèt ex se culpa careant, sine culpa tamen raró committi solent. (g)

III. In peccatis Iræ tunc solùm peccatur mortaliter, quando quis ex animo deliberato alteri grave malum vel optat, vel infert. Desperatio de misericordia DEI, gravis item murmuratio, vel indignatio contra DEUM, peccata sunt mortalia: quibus adde perjurium, & blasphemiam, si verè talis sit. Reliqua verò superiùs recensita pec-

(g) Ira vide suprà cap. 2. num. 3.

cata plerumque sunt tantùm venialia, v. g. ordinariæ imprecationes, juramenta non falsa &c. (*b*) Vulgus ista quatuor confundere solet, *convitium*, *juramentum*, *Imprecationem*, *blasphemiam*, (Schelten/ Schwören / Fluchen / Lösteren) Quæ tamen inter se differunt, & specie distinguuntur. Convitium est sermo alteri probrosus, ut, si quem furem, stultum nomines. Juramentum est invocatio DEI in confirmationem alicujus dicti: ut, si dicas, per DEUM, per animam meam hoc verum est. Imprecatio est maledictio quædam sibi vel alteri facta; ut, si quis dicat. Me Dæmon hinc auferat: te fulmen percutiat: Blasphemia est verbum DEO vel Sanctis ignominiosum vel injuriosum: ut, si quis DEUM injustum, mendacem dicat, mille sacramenta juret &c.

IV. Omnia

(*b*) Blasphemia. Imprecatio. Juramentum. Convitium. vide suprà c. 2. n. 3.

IV. Omnia convitia (ex probabili ſententia) ſunt unius ſpeciei: (i) unde ſatis eſt, ſi in confeſſione dicas. Alteri convitia dixi, ſeu agnomina dedi: qualia autem hæc fuerint convitia, vel agnomina non opus eſt in particulari recenſere. (k) Quod idem de Juramentis & imprecationibus intelligere potes: quare neceſſe non eſt, neſcio, quàm longos imprecationum, & juramentorum catalogos in confeſſionem afferre. (l) Qui in ira contra hominem, vel jumentum ſacra verba falſitatem non continentia irreligiosè profert (v.g. Sacrament / Gottscrysam) propriè non blasphemat; ſed peccat contra ſecundum præceptum Decalogi. (m) *Non uſurpabis nomen Domini tui fruſtra.* Et

(i) Diana in ſumm. V. contumelia, num. 1. (k) Bonacin. Navarrus Reginald. apud Buſembaum, lib. 3. tom. 2. c. 1. n. 20. (l) Layman. lib. 4. tom. 10. cap. 6. num. 1. (m) Deut. 5. 11.

juxta probabilem ſententiam, venialiter tantùm. Neque illi peccati mortalis damnari debent, qui joco, vel ſerio verba juramentis ſimilia, aliáve ſuperiùs annotata proferunt; (n) qui item verba ſcripturæ citra Formalem contemptum ad jocos traducunt.

V. In peccatis Superbiæ, (o) quantumvis excedens ſit deſiderium v. g. honoris, famæ, gloriæ, excellentiæ propriæ, vix unquam venitur ad peccatum mortale. (p) Invidia item, ſi non adſit deſiderium gravis mali, aut aliud quid æquivalens, non eſt peccatum mortale: & multò minùs æmulatio illa, quâ quis optat eſſe, vel videri plùs, quàm alter: modò non adhibeat media mortaliter illicita ad alterum ſupprimendum.

Uni-

(n) Pag. 6. cap. 2. num. 3. (o) Superbia vide ſuprà cap. 2. num. 4. (p) Invidia, vide ſuprà cap. 2. num. 4.

(*q*) Universim hoc notandum est, superbiam, iram, acediam, & alia, quæ communiter *peccata mortalia*, seu *capitalia* dicuntur, propriè peccata non esse; sed tantùm passiones & appetitus, qui facilè homines in transversum agunt, ducúntque in peccatum mortale. Unde rudes homines imperitè judicant, omnem actum superbiæ, iræ &c. esse peccatum mortale.

VI. Inobedientia (*r*) Studiosorum plerunque sunt tantùm venialia peccata. Si tamen accedat gravis contemptus Superiorum, Parentum, Professorum &c. peccatur mortaliter. Quod etiam intelligendum est de contemptu & Irreverentia cujuscunque alterius hominis, si gravis sit, (*s*) & magna; id quod potissimum ex qualitate personæ

(*q*) Bresserus. lib. 6. de conscient. cap. 10. num. 114. (*r*) Inobedientia. vide suprà cap. 2. num. 5. (*s*) Irreverentia. vide supra. cap. 2. num. 5.

desumendum est, tum ejus, quæ contemnit, tum illius, quæ contemnitur; ex hujus enim & illius dignitate & vilitate crescit, aut decrescit malitia contemptûs & irreverentiæ. (*t*) Mendacium, Detractio, Falsa delatio, Deceptio, Susurratio &c. Tunc solùm sunt peccata mortalia, quando grave damnum inde emergit, idque fuit prævisum, aut etiam intentum. (*u*) Furtum, Rapina, Damnificatio, Injusta retentio, Omissio satisfactionis &c. mortale peccatum constituunt, si quantitas injustè ablata, vel retenta, sit notabilis, v. g. florenus, talerus, ducatus &c. Ut horum peccatorum gravitas, aut levitas meliùs appareat, atque innotescat Confessario, bene facis, si illa in confessione semper dicas cum aliqua additione, seu limitatione.

v. g.

(*t*) Fallacia. vide suprà cap. 2. n. 6.
(*u*) Avaritia. Injustitia. vide suprà cap. 2. num. 7.

v. g. Mentitus ſum ſine damno alterius: Detraxi duobus aliis, quantum puto ac ſcio, non niſi leviter. Rixas & diſſidia excitavi, ſed leves tantùm ac breves. „Furatus ſum tres baceos, aut rem „valentem decem crucigeros. Luſi „chartis, & alium in re modica „decepi &c. Quod ſi damnum, aut furtum, fuit grave, ſimiliter exprimi debet. Prudenter agis ſi „inſuper adjungas. Volo, reſti„tuere, aut ſatisfacere pro damno „&c. Aliàs hoc ipſum confeſſarius debebit monere.

VII. In peccatis Gulæ tunc ſolum peccatur mortaliter, (*x*) quando vel jejunium frangitur, vel ratio ebrietate ſopitur, vel ſanitas graviter affligitur. (*y*) Ebrietas non ex vomitu, ſed ex plena rationis

 obſu-

(*x*) Gula. vide ſuprà. cap. 2. num. 8. (*y*) Ebrietas, vide ſuprà. cap. 2. num. 2.

obfuſcatione, eáque præviſa cognoſci debet. Reliqui exceſſus in cibo, potu, ſomno: morum item levitas, ſcurrilitas, inurbanitas &c. peccata ſunt tantùm venialia. (z) Amor Senſualis, atque inordinatus, quæque ex illo fiunt, ordinariè malitiam peccati venialis non excedunt: (a) facillimè autem hic amor ſenſualis in carnalem ac libidiniofum degenerat; & tunc ejus, opera ex ſe mortaliter ſunt mala. (b) In vitio Luxuriæ nullum omnino peccatum committitur, ſi contra voluntatem hominis, & citra conſenſum illius impuræ cogitationes oriantur in mente, (c) delectationes in corde, commotiones in carne, quantumvis hæ turpes, vehementes, ac diuturnæ ſint. Si

(z) Amor ſenſualis. vide ſuprà cap. 2. num. 8. (a) S. Bonav. proceſſ. 4. de relig. cap. 12. (b) Laſcivia. vide ſuprà cap. 2. num. 8. & 9. (c) Thom. Sanchez. lib. 1. c. 1. num. 19.

(*d*) Si verò his accedat deliberata voluntas, ac plenus consensus, tunc semper committitur peccatum mortale, quantumvis materia sit levis, ac mora brevis, quâ delectatio impura vel quæritur, vel admittitur. (*e*) Sæpe tamen à peccato mortali excusat insufficiens deliberatio, & consensus imperfectus.

VIII. Delectatio morosa, (*f*) & Desiderium incastum distinguuntur interse: atque adeo separatim debent in confessione explicari. Delectatio Morosa est voluptas percepta ex recordatione rerum lascivarum, carnisve impura commotione, sed absque desiderio illius rei, (*g*) quam cogitat, exequendæ. (*h*) Desiderium verò Incastum

(*d*) Veron. in man. sodalit. cap. 4. p. 2. n. 6. (*e*) Thom. Sanchez. lib. 1. in dec. cap. 2. num. 13. in fine. (*f*) Delectatio Morosa. Desiderium incastum vide suprà cap. 2. num. 8. (*g*) Diana. pars 2. t. 17. res. 33. (*h*) Castrop. p. 2. tom. 2. punct. 10. §. 1. n. 1.

est voluntas (vel efficax, vel inefficax) peccandi carnaliter hoc vel illo, modo, (*i*) cum tali, aut tali persona. Voluntas *efficax* peccandi est, quando aliquis ita vult peccare: ut hoc, quod vult, etiam statuat exequi, ac proinde occasionem peccandi, ac media inquirat. Voluntas *inefficax* peccandi est, quando aliquis vellet quidem peccare, quantum in se est, sed quia nulla adest occasio, aut timetur infamia, aut alia obstat causa, ideo ipsum opus haud statuit exequi, neque media exequendi illud indagat. In confessione non est necesse, ut dicatur, an desiderium efficax fuerit, an inefficax, modò fatearis, te habuisse desiderium peccandi cum soluta, ligata, consanguinea, DEO dicata &c.

IX. Scandalum, (*k*) *est dictum, vel factum minùs rectum, præbens alteri occa-*

(*i*) Idem loc. cit. §. 4. num. 2. (*k*) Scandalum vide suprà cap. 2. n. 10.

occasionem ruinæ spiritualis. (*l*) Tunc est mortale, quando est causa peccati mortalis; veniale, si venialis. In confessione exprimenda est species peccati mortalis, (*m*) ad quod alter inductus est; insuper exprimendus est numerus personarum, quibus causa periculi seu lapsûs aliquis fuit. (*n*) Ad peccandum scandali sufficit, si aliquis prævideat alterius periculum vel lapsum, etiamsi illum directè non intendat. (*o*) Non est semper peccatum scandali, si quis coram aliis delinquat, sed tunc solùm, quando probabile periculum cognoscitur, alterum inducendi in peccatum simile, vel aliud.

X. (*p*) Propriè item peccatum scan-

(*l*) Bonacin. disp. 2. de peccat. q. 4. p. 2. §. unit. num. 12. (*m*) Castrop. p. 1. t. 6. d. 6. punct. 3. n. 1. (*n*) Layman. lib. 2. tom. 3. cap. 13. num. 5. §. Porro. (*o*) Idem loc. cit. num. 6. (*p*) Idem loc. cit.

ſcandali non eſt (licèt vulgus id putet) ſi ex propalatione peccati tui, nihil aliud oriatur, quàm admiratio hominum, quibus, cùm anteà bonus es viſus, jam malus appares, & nequam; hac enim in re illi non errant, neque peccant, dum talem te eſſe vel fuiſſe rationabiliter judicant, qualis reipſa es, & qualem te facto tuo fuiſſe commonſtrâſti. (q) Si conſors, aut complex fuiſti peccati alterius contra juſtitiam commiſſi, v. g. furti, aut damnificationis &c. Præter culpam, quam commiſiſti, inſuper obligationem incurriſti reſtituendi, vel ſatisfaciendi, juxta proportionem illatæ injuriæ, & cooperationis tuæ, (r) id quod in aliis quoque peccatis contra juſtitiam propriè dictam commiſſis intellige: ſemper enim reatum culpæ ex læſa juſti-

(q) Peccata aliena. vide ſuprà cap. 2. num. 10. (r) Reſtitutio. vide ſuprá cap. 2. num. 7.

justitia contractum comitatur obligatio satisfaciendi pro damno, quod est illatum, adeo, ut si quis huic nolit satisfacere obligationi, nullam possit obtinere remissionem peccati; juxta verissimam illam S. Augustini sententiam. (s) *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Unde diligens hujus rei cura haberi debet in confessione, ne quis error, aut sacrilegium aliquod committatur in sacramento pœnitentiæ: non enim sufficit, se furti accusare, vel injustæ damnificationis, sed etiam indicare oportet propositum faciendæ restitutionis, ac satisfactionis: alioquin sine hoc proposito invalida, imò sacrilega erit tua confessio. Circa peccata aliena hoc etiam notandum est, cavendum esse pœnitenti, (t) ne dum sua delicta in confessione narrat, alterius etiam

(s) S. August. epist. 54. ad Maced, & C. 1. caus. 14. q. 6. (t) S. Bonav. d. 21. in 4. p. 2. a. 1. q. 3.

etiam peccata prodat: non enim licet alteri etiam in confessione detrahere. Quare nunquam persona illa nominanda est, quæ peccati consors fuit, aut complex, neque ita describi, ut Confessarius in ejus notitiam pervenire queat. Si verò istud evitare non possis, bene, prudentérque agis, si ad alium accedas Confessarium, cui citra revelationem illius personæ, confiteri tua peccata valeas.



VII. PARS

VII.
PARS
DE
MOTIVIS ELI-CIENDÆ CONTRITIONIS
SUPER
PECCATO MORTALI.

I.

Statue tibi speculam; pone tibi amaritudines. *Jerem. cap. 13. v. 21.*

II.

Scito, & vide: quia malum, & amarum est, reliquisse Dominum Deum tuum. *Jerem. cap. 2. vers. 19.*

III.

Converte me, Domine, ad te, & convertar: postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam, & percussi femur meum. *Jerem. c. 13. v. 18.*

CA.



CAPUT. I.

De quinque damnis peccati mortalis.

I.

PEccatum mortale offendit Deum infinitè bonum, sic enim scriptum est. (u) *Exacerbavit Dominum peccator.* Item, *Ipsi autem ac iracundiam provocaverunt, & afflixerunt spiritum ejus, & conversus est eis in inimicum.* (x) Considera, ô Peccator, quis ille sit, qui offendit? & quis ille, qui offenditur? Qui DEUM offendit, homo est; & quem homo offendit, DEUS est. Quis autem est DEUS, & quis

(u) Psalm 10. 4. (x) Isaiæ. 63. 10.

quis est homo? Homo in comparatione DEI vilior est minimo terræ vermiculo respectu totius universi; & DEUS in comparatione hominis major est omni mole excogitabili, respectu unius *guttæ roris antelucani*; (*y*) imò, cùm Deus sit infinitus, non item homo, hujus ad illum, ceu finiti ad infinitum, nulla omnino potest esse comparatio. (*z*) Spectatâ igitur vilitate hominis, qui DEUM offendit; & dignitate DEI, qui ab homine offenditur, quodlibet peccamine offenditur, quodlibet peccatum mortale malitiam contrahit aliquo modo infinitam, quam neque merita Angelorum, neque opera Sanctorum, neque supplicia damnatorum sufficienter unquam eluere possunt, quámque ideo solus ille abolere potuit, (*a*) ac debuit, qui

(*y*) Sap. 11. 23. (*z*) Cajetan. 3. p. q. 1. a. 2. §. ad alterum verò. (*a*) S. Bonavent. in 3. dist. 20. q. 4.

qui dignitatis fuit infinitæ, nimirum Christus JESUS Dominus ac DEUS noster, qui, *cùm in forma DEI esset, semetipsum exinanivit*, (b) ut in *forma servi* servum à debito, quod ipse solvendo non erat, suâ morte liberaret. O qualis, & quanta malitia peccati, quæ redimi debuit sanguine ac morte Christi!

II. Pro certo habe, (c) atque indubitanter crede, tantam esse lethalis noxæ malitiam, ut, si omnes Angeli & homines à condito orbe terrarum nihil aliud egissent, agerent, atque essent acturi in æternum, quàm unam unius peccati mortalis gravitatem per intellectum scrutari, ac detestari per affectum, nihilominus eam nullo unquam tempore potuissent possentque aut plenitudine cognitionis exhau-

(b) Phil. 2. 7. (c) Arias. tom. 3. thes. inexh. tract. 9. de gravit. peccat. mort. cap. 6. §. & quis poterit.

exhaurire, aut magnitudine doloris adæquare, Quanta igitur, DEUM immortalem, eſt tua cæcitas,. ô peccator, qui rem adeò grandem tam parvi pendis, tam parum ſentis, tam temerè perpetras, tam modicè deploras!

III. Peccatum mortale ſumma eſt ingratitudo erga DEUM, & erga Chriſtum. Sic enim ſcriptum eſt. (*d*) *Generatio prava, atque perverſa, hæccine reddis Domino, popule ſtulte, & inſipiens? nunquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creavit te?* Item, *Audite cœli, & auribus percipe terra; quoniam Dominus locutus eſt.* (*e*) *Filios enutrivi, & exaltavi: ipſi autem ſpreverunt me.* Et ſanè quæ major poſſet eſſe ingratitudo, quàm ſummum benefactorem offendere peccato? quæ major iniquitas, quàm DEO pro beneficiis rependere injurias? Ecce

(*d*) Deut. 32. 4. (*e*) Iſai. 1. 2.

(*f*) Ecce DEUS tuus in *charitate perpetua dilexit te*, &c, antequam esses, recordatus est tui, ut te crearet in tempore, téque bearet in æternitate. Tu verò projecisti post dorsum legem Domini, oblitus omnium miserationum ejus, reddénsque malum pro bono, odium pro dilectione, crudelitatem pro charitate. Nunquid non ipse creavit te, & conservavit te? redemit, & sanctificavit te? in filium suum, & in hæredem gloriæ cælestis elegit te? Tu verò pro tot gratiis ac muneribus quid ei rependisti aliud, quàm scelera & peccata, sterilitatem cordis, ac dolorem animæ? (*g*) *Nunc ergo habitatores Jerusalem, & viri Juda, judicate inter DEUM & vineam ejus. Quid est, quod debuit ultra facere vineæ suæ.* Hoc est, animæ nostræ, *& non fecit ei? an quod expectavit, ut faceret uvas, & fecit labruscas.*

I IV. Con-

(*f*) Jerem. 31. 3. (*g*) Isaiæ. 5. 4.

IV. Considera, (*h*) Homuncio ingrate, si quis eum suâ perimeret manu, à quo propriam accepit vitam, quo is dignus esset cruciatu, quam pœnam promeritus? Vah! ubi scelus hoc? ubi latro? ubi parricida ille, qui tantum ausus est nefas, qui non exhorruit, matris rimari viscera, & patris jugulum haurire ferro? Ecce, hìc astat, hìc ille nequissimus est mortalium, hìc tuâ is latitat in cute. Tu enim, tu ille es nefandus latro, qui, quantùm in te fuit, DEUM ipsum spoliâsti vitâ, & Deitate sua, qui toties Christum crudeliter occidisti, (*i*) quoties in eum mortaliter deliquisti. Quid mirum foret, si terra dehisceret, tèque vivum absorberet infernus? (*k*) *Si sumeret armaturam Zelus DEI* contra te rebellem, & ingratum? si *pro illo pugnaret*

(*h*) Pelecyus lib. 1. de grav. peccat. mort. cap. 5. (*i*) Hebr. 6, 6. (*k*) Sap. 5. 18.

naret orbis terrarum contra te crudelem & *insensatum?*

V. Peccatum mortale animam hominis deformem reddit, atque ignobilem. Sic enim scriptum est. (*l*) *Cinis est cor ejus, & luto vilior vita ejus.* Item, *qui me contemnunt, erunt ignobiles.* (*m*) Inter omnes creaturas primum dignitatis locum obtinet Angelus & Homo, adeò, ut his reliqua universa, sive supra, sive infra lunæ globum sita, longissimo cedant intervallo: nihilominus, si vel Homo, vel Angelus unius noxæ lethalis maculâ inquinentur, adeò viles fiunt, & turpes in conspectu DEI, & Sanctorum ejus, ut illis nihil deformius, nihilque ignobilius esse possit, aut dici, vel cogitari. (*n*) Unum sanè superbiæ peccatum ex Angelis formosissimis fecit turpissima monstra, quorum horribilem formam nemo

(*l*) Sap. 15. 10. (*m*) 1. Regum, 2. 30. (*n*) Isaiæ, 14. 12.

unquam potuit ſatis animo concipere, exprimere verbo, formare ſcalpro, pingere penicillo.

VI. Anima Hominis peccato mortali deformata longè vilior, (o) turpiórque eſt, quàm omne id, quod unquam in terris, aut vile fuit, aut turpe. Objice animo tuo, quidquid natura abhorret, & quod oculi intueri vix valent: cogita ſaniem, pus, phlegma, mucum, ſputum; tibi propone fimum, lutum, chatarmata, cadavera; imaginare bufones, ſerpentes dracones; intuere Oeſopos, Xantippes, aliáque ejusmodi portenta atque pro certo indubitatóque habe, tuam animam, ſi mortali peccato ſit iniquinata, rebus hiſce omnibus longè eſſe fœdiorem, viliorémque, adeò quidem, ut omnes illæ ſpurcitiæ ac fœditates in comparatione animæ

(o) Salianus *lib.* 6. de timore DEI cap. 3. num. 2. & cap. 4. num. 7. 11. 13.

animæ tuæ mera ſint pulchritudo, mera venuſtas, & mera gratia, imò pretioſæ gemmæ, flores odoriferi, ſuaveolens balſamum, aroma ſapidiſſimum. Nunc, Narciſſe floride, & amabiſſis Hyacinthe, mirare vultûs tui venuſtatem, generis nobilitatem, nitorem veſtium, morum elegantiam, ſuavitatem ſermonis, aliáque ſive corporis, ſive animi ornamenta: ſi, cùm hæc omnia habeas, una tibi deſit Gratia DEI, & foveas in ſinu tuo peccatum mortale, revera miſer es, ac multùm miſerabilis, ipſo fœdior Cacodæmone, aut ſi quid hoc monſtro poteſt eſſe monſtroſius. Profectò ſi tuam ipſe animam hoc modo conſtitutam corporeis aſpiceres oculis, mox animam, imò mille ſi haberes, animas, ex intolerabili, quem inde ſentires, horrore in momento efflares.

VII. Peccatum mortale animam

donis ſupernaturabilibus expoliat; hoc eſt, Gratia, Virtutibus, ac Meritis. Sic enim ſcriptum eſt. (p) *Miſit manum ſuam hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus.* Item, (q) *ſi averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus non recordabuntur.* Gratia DEI quædam quaſi participata Deitas eſt, quâ proinde poſt DEUM nihil præſtantius reperitur ſive in cælis, ſive in terris: (r) hæc enim cùm ex natura ſua ſit ordinis ſupernaturalis, ſuperat omne id, quod natura eſt, & quidquid natura præclari habet, ita quidem, ut juxta certam Theologorum ſententiam minimus gradus Gratiæ DEI ſupernaturalis melior ſit ſummis, ac ſupremis Cœli ſpiritibus: (s) atque una (ut ita loquar) ejus particula longè præceda

(p) Thren. 1. 10. (q) Ezech. 10. 22. (r) P. Henricus Lamparter de præſt. Gratiæ Dei. conſ. 5. 6. (s) Nierenb. de ador. in ſpir. & verit. cap. 12.

dat omnia rerum creatarum ornamenta.

VIII. Corporum pulchritudo, (*t*) ſtellarum ſplendor, gemmarum pretium, florum elegantia, copia divitiarum, ſi conferantur cum Gratia DEI, nihil aliud ſunt, quàm retrimenta & quisquiliæ, nugæ nugarum, & vanitates vanitatum: & hoc tam præſtans, tam pretioſum, tam inæſtimabile donum uno perditur, eòque momentaneo conſenſu in noxam lethalem; quocum omnia pariter fatiſcunt, (*u*) & quaſi in nihilum rediguntur merita operum, & dona virtutum, usque adeò, ut ſi quis vitæ ſanctimoniâ par eſſet S. Joanni Baptiſtæ, & cumulo meritorum ſuperior ipsâ DEI Matre: nihilominus omnem ſuam opulentiam eo perderet momento, quô conſenſum daret vel

(*t*) Drexelius de rog. damnat. c. 14. §. 2. (*u*) Arias t. 3. theſ. inex. tom. 9. cap. 8.

vel uni mortali peccato. O cæcitas! ô dementia! ô insania! si pauculos nummos amittas, si cultri vel libri jacturam facias, ingemiscis ac doles, indignaris, & luges: nunc verò cùm Gratiâ DEI privaris, cùm regno Cæli excluderis, cùm ipso spoliaris DEO, vix sentis damnum, delictum non defles, nec curas periculum, nil horres interitum.

IX. Peccatum mortale indurat cor hominis, & cæcat intellectum ejus. Sic enim scriptum est. (x) *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* Item, *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt.* (y) Hæc nimirum est indoles peccantium, ut quò magis vulnerantur à peccatis, eò minùs sentiant vulnera suæ mentis, &, sicut manus callum obducit ex assiduitate laboris, ita animus indurescit ex frequentatione criminis. Videre est

(x) Job. 41. 15. (y) Eccli. 21. 16.

eſt aliquem, qui cùm diu vixiſſet bene, tentatus denique ſuccubuit fragilitati humanæ, & continuò ſuum agnoſcens caſum ſentit amaros ſtimulos conſcientiæ, quibus adactus luget commiſſum, quærit Confeſſarium, evomit venenum, cavet relapſum. Si tamen (quod DEUS avertat) in prius vel aliud relabatur crimen, mox durior fit ad compunctionem, languidior ad confeſſionem, remiſſior ad emendationem: denique, quò ſæpiùs audet idem facinus, eò magis induratur ejus animus: unde ſenſim ſine ſenſu perdit omnem ſenſum pietatis, guſtum orationis, ſacræ uſum lectionis, contritio fit illa dura, confeſſio amara, communio rara, mortificatio exoſa, emendatio nulla: quæritur voluptas, arridet vanitas, placet impietas, & dantur denique impudentiæ manus, dum pleno impetu, & clauſis quaſi oculis rui-

tur in profundum abyssi, in barathrum inferni, unde jam non amplius peccatur ex fragilitate & ignorantia cum metu quodam & horrore, sed ex plena & deliberata malitia cum gustu aliquo & voluptate. Atque hæc est illa *cordis induratio*, malitiæ soboles, nequitiæ mater, soror inscitiæ, tenebrarum amica, perditionis æternæ prodroma.

X. Ex hac *cordis induratione* spissæ consurgunt nebulæ, (z) crassique vapores exhalant, *falsa*, inquam, *principia errorésque practici*, qui fallunt hominem, obfuscant cerebrum, dementant intellectum, voluntatem excæcant. (a) *Dixit insipiens* (sive vir, sive adolescens) *in corde suo. Non est DEUS* ita durus & crudelis, ut vindicet adeò severè delicta juventutis: (b) nunquid novit figmentum suum, & plasma fragile, quod pronum est ad malum

(z) Salianus l. 9. de tim. Dei c. 18. n. 4.
(a) Psalm. 13. 2. (b) Ps. 102. 41.

lum ab adolescentia sua? (c) nonne miseratio ejus magna est, multúmque placabilis super malitia hominum? *Omnia tempus habent*: (d) alia viros, alia juvenes dicent; his alacritas, illis convenit animositas: pietas devota ad senes decrepitos spectat. Næ ille speciem improbitatis habet, qui nimiùm justus, sanctúsque esse desiderat: quid volo? in mundo versor, ergo mundi vivendum est legibus: si monachus essem, scio, quid facerem: modò bonis vacare operibus haud lubet, abstinere à peccatis vix licet: peccare humanum est, & nihil humani à me alienum puto: multi peccârunt, & salvi facti sunt, quid ni & ego? dum spiro, in DEUM spero, & eum quæro; *spes autem non confundit*: (e) non odi bonitatem DEI, sed amo voluptatem mundi. Opto cælum, & salvus esse

I 6

(c) Genes. 8. 21. (d) Ecclef. 3. 1.
(e) Rom. 5. 5.

esse ex animo cupio: interim fruor iis, quæ sunt supra terram; mihi vivo, meóque genio. Erit tempus, cùm uno gemitu omnia peccata mea demergam in profundum maris, Petenti dabitur, pulsanti aperietur &c. (f) *Talia dixerunt*, qui positi in atrio inferni, voluptatibus inhiant hujus mundi: (g) *Non cogitantes, nec ponentes in præcordiis, quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est*: cum è contrario (h) *Justorum semita quasi lux splendens procedat, & crescat usque ad perfectam diem &c.*



(f) Luc. 11. 10. (g) Sap. 5. 14. (h) Prov. 4. 18.

CAPUT II.

De aliis quinque damnis peccati mortalis.

I.

PEccatum morale gravium miseriarum ac calamitatum est causa. Sic enim scriptum est. *Multa flagella peccatoris.* Item, (*i*) *mittam in eos gladium & famem, & pestem, eò quòd non audierint verba mea.* (*k*) Grandis quorundam hominum temeritas est, qui propter longanimem DEI patientiam, suam aggravant, augéntque malitiam, atque ideo liberiùs peccant, quia vindictam DEI non statim sentiunt: id quod DEUS ipse jam olim conquestus est per Ecclesiasticum, his verbis. (*l*) *Quia non profertur citò contra malos sententia, absque*

(*i*) Psal. 31. 10. (*k*) Jerem. 24. 10.
(*l*) Eccli. 8. 11.

que timore ullo filii hominum perpetrant mala. Sed hunc ipsum errorem ut corrigeret DEUS, alibi sic ait, minando hominibus. *Ne dixeris: (m) peccavi, & quid accidit mihi triste? altissimus enim est patiens redditor: subitò veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te.*

II. Peccâsti, ô Homo, ut ipsemet fateris; peccasti, non semel tantùm, sed sæpius; peccâsti heri, & hodie, & nudius tertiùs, & tamen adhuc bene vales, sanus es corpore, vegetus mente, etiamnum sapit cibus, oblectat potus, recreat somnus, nihil amisisti in ære, nil tibi decessit in honore, te perinde, ut antè, amant homines, téque ùt hominem frugi verentur, ac venerantur, conatus tui prosperè succedunt, bellè omnia, feliciterque se se habent. Cur igitur, ais, peccare non libeat, si cum peccatis sic esse, sic vivere liceat? Ne ita cogi-

(m) Eccli. 5. 4.

cogitos, ô homo insipiens, ne ita loquaris. Nondum enim dierum omnium sol occubuit: dilata est pœna, non ablata: (n) *Altissimus enim est patiens redditor*, & quò longior est mora exspectantis, eò gravior est ira vindicantis: (o) *Veniens veniet & non tardabit, veniet dies Domini, dies iræ ac furoris*, quo dices cum gemitu, ex intimo cordis. (p) Ah! DEUS, Ah! *parce peccatis meis*: (q) *nunquid consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ? miserere mei DEUS secundum magnam misericordiam tuam*: (r) *delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris.*

III. Peccatum mortale accelerat mortem, & tempus vitæ abbreviat. Sic enim scriptum est. (s) *Minorâsti dies temporis ejus.* Item, *Impius, antequam*

(n) Eccli. 5. 4. (o) Habacuc. 2. 3. (p) Job. 14. 16. (q) Idem. 13. 26. (r) Psalm. 50. 1. (s) Psalm. 88. 46.

tequam dies ejus impleantur, peribit. (t) Præproperas Juvenum mortes hac plerumque ornare solemus epigraphe: (u) *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam illius.* Nescio, an semper ex vero. Sæpè enim moritur homo ante tempus in juventute, non tam, ut peccata amplius non committat, quàm quia peccata jam antè commiserat, ut adeò mors ejus immatura sit potius pœna & supplicium peccati præteriti, quàm amotio seu cessatio periculi futuri. Unde de tali Juvene celeriùs extincto veriùs fortasse diceretur: *Raptus est, quia malitia jam mutârat intellectum ejus; & fictio jam deceperat animam illius.* (x) Ajunt Theologi, probántque ex sacris litteris, confirmant exemplis, & rationibus evincunt, cuivis homini

(t) Job. 15. 32. (u) Sap. 4. 11. (x) Lessius de perf. divin. lib. 13. cap. 11, num. 59. & seq.

mini certam à DEO ſtatutam eſſe menſuram peccatorum, (y) quâ ſemel impletâ, DEUS absque mora vindicem ſtringat manum, & gladiô juſtitiæ peccatorem feriat, eum aut vivum cruciando horrendis ſuppliciis hujus vitæ, aut mortuum damnando ad ignes purgatorii vel gehennæ. Hæc verò Menſura Peccatorum non una omnium æqualiter eſt peccantium, ſed juxta inſcrutabile ſapientiæ divinæ conſilium admodum diverſa. Quidam enim parvam, aliqui mediocrem, alii maximam habent. Fuerunt ſanè, quos una vel altera lethalis noxa detruſit ad ſupplicia inferni; alios, decem; alios, centum; alios, mille; alios, mille milliones peccatorum perennibus addixere flammis. (z) Juſtus eſt DEUS, & rectus in omnibus operibus ſuis: & nemo poteſt ei dice-

(y) Arias t. 3. theſ. inexhauſt. t. 9. c. 19. (z) Pſal. 199. 17.

dicere: (*a*) cur ita facis, & non aliter? cur hunc ſeriùs, illum citiùs punis?

IV. Cogita nunc, ô Peccator, an tua, quam habes, Menſura Peccatorum ſit arcta, an ampla: vacuáne an plena? Quid ſi proximum, quod hodie vel cras commiſſurus es peccatum, tuorum peccatotum futurum ſit ultimum, poſt quod furor, & ira, calamitas, & miſeria, mors repentina, perditio æterna? (*b*) *Beatus eſt homo, qui ſemper eſt pavidus,* (*c*) *& DEUM quaſi tumentes ſuper ſe fluctus aſſiduè formidat.* (*d*) *Memento creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat dies afflictionis, & appropinquent anni, de quibus dicas; non placent.* (*e*) Multa flagella, ſunt peccatoris: ſi metuis flagella, fuge peccata, ſi times ſupplicia, vita flagitia, ſi refugis

(*a*) Rom. 9. 2. (*b*) Prov. 28. 14. (*c*) Job. 31. 23. (*d*) Eccleſ. 12. 1. (*e*) Pſal. 31. 10.

fugis pœnam, declina culpam. (*f*) O si *saperes, & intelligeres*, & mala futura præcaveres, aut puram servando innocentiam, aut pro hac amissa dignam agendo pœnitentiam? (*g*) *Quasi à facie colubri fuge peccata*: si hactenus peccâsti, ne adjicias iterum, sed de pristinis deprecare, ut ea tibi dimittat Deus: cogita enim; si unum peccatum mortale meretur æterna supplicia, quid facient centum? quid millia?

V. Peccatum mortale per infelicem mortem ad æternam ducit damnationem. Sic enim scriptum est. (*h*) *Mors peccatorum pessima.* Item, (*i*) *Convertantur in infernum peccatores, omnes gentes, quæ obliviscuntur DEUM.* Durum est mori in lecto, ignominiosum in patibulo, sed multò luctuosissimum in lethali peccato: mors enim in sta-

tu

(*f*) Deut. 32. 29. (*g*) Eccli. 21. 2. (*h*) Psalm. 33. 22. (*i*) Psalm. 9. 18.

docunque multiplica; & tamen longitudinem dolorum nondum attigisti: multitudinem annorum nondum exhausisti: imo nec minimam partem æternitatis cruciatuum invenisti. O longa æternitas! ô æterna acerbitas! ô acerba calamitas! ò calamitosa infelicitas, ultra quam non est alia, & intra quam omnia sunt mala, quæ vel oculus vidit, vel auris audivit, vel cor hominis cogitavit!

VI. *Duo mala fecit populus meus*, (*k*) & duo mala reddidit ei Deus. *Dereliquit is fontem aquæ vivæ* & Deus privavit eum dono visionis beatificæ: *foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas*, & DEUS construxit illis fornaces ignitas, quas extinguere nulla unquam poterit ætas. De utroque hoc malo magnus quidam Magister spiritûs ita loquitur *primò*. (*l*) *Si quidquid de pœnis inferni dici potest*, *ad*

(*k*) Jerem. 2. 12. Rusbrochius epist. 1.

ad ipsam veritatem comparetur, minus est, quam una gutta ad universum mare. Secundò, (*m*) *Pœnæ tartareæ sunt res modicæ, & quasi parvæ, si ad æternam divinæ visionis privationem conferantur.* Hæc, ô Homo, vivaciter apprehende, & veraciter expende: hæc, efficaciter imprime animo tuo: (*n*) Nihil enim sic ignem extinguit concupiscentiæ, uti frequens & vivax consideratio gehennæ: unde facilè poteris quævis illicia peccati superare, si volueris inferni supplicia considerare.

VII. Peccatum mortale etiam aliis non peccantibus officit. Sic enim scriptum est. *Ego sum Dominus DEUS tuus fortis zelotes visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam, & quartam generationem eorum, qui oderunt me.* Item, (*o*) *Regnum à gen-*

te

(*m*) Idem loc. cit. (*n*) S. Bern. in modo bene vivendi ad Soror ser. 67. (*o*) Eccli. 19, 8.

te in gentem transfertur propter injustitias & dolos. (p) Unus Adam peccavit, & tota posteritas ejus peccati pœnas dedit, (q) Unus Achan furtum commisit, & omnis Israël cladem tulit. (r) Unus Sichem patravit scelus, & tota urbis ejus orbata est civibus. (s) Unus Giezi commisit crimen avaritiæ, & lepra Naaman adhæsit toti ejus familiæ. (t) Unus Heli, peccata Filiorum non puniendo, peccavit, & omnis populus unà cum arca Dei ludibrium, ac præda hostibus fuit.

VIII. Ita, ô Homo, quisquis es, peccando non tibi solùm, sed aliis quoque noces, familiæ, quam gubernas: noces cognationi tuæ, quam habes: noces reipublicæ, cujus pars es: noces urbi, quam incolis: noces provinciæ, in qua vivis: noces patriæ: noces Ecclesiæ,

(p) Gen. 3. 6. (q) Jos. 7. (r) Gen. 35. 25. (s) 4. Reg. 5. 27. (t) 1. Regum. 4. 11.

siæ, quæ tibi vitam, fidémque contulerunt, noces orbi terrarum, quam pedibus tuis calcas: noces ipsi cælo, quod tuis sceleribus inhonoras. Quid si DEUS tuis iratus atque irritatus peccatis hactenus immiserit, etiamnum immittat, & posthac immissurus sit bellum provinciæ, pestem patriæ, famem terræ, cladem reipublicæ, schisma Ecclesiæ, tibi tuísque mala corporis & animæ?

IX. Peccatum mortale aliorum causa est peccatorum. Sic enim scriptum est. (u) *Appone, Domine, iniquitatem super iniquitatem, & non intres in justitiam tuam.* Item, (x) *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* Quòd peccatum mortale morbos accersat, mortem acceleret, vitam abbreviet, ecclesiam turbet, rempublicam pessundet, cœlum occludat, infernum reseret, atque innu-

(u) Psalm. 68. 28. (x) Apoc. 22. 11.

innumera invehat in orbem terrarum mala, hæc, inquam universa, si justâ ponderentur lance, non nisi minuta, & vix ullius momenti damna sunt, si conferantur cum eo, quòd unum peccatum mortale sit causa alterius peccati sive mortalis, sive venialis: cùm enim quodlibet peccatum, seu malum culpæ præponderet omnibus malis, hujus, & alterius vitæ, non potest esse majus peccati supplicium, quàm sequens ex peccato peccatum, cujus intuitu, mille morbi, mille pestes, mille mortes, mille inferi, meræ malorum sunt umbræ, mera somnia, & vana calamitatum nomina: id quòd adeo verum est, ut, juxta unanimem Sanctorum sensum, præstaret, Cælum terrámque dissolvi, atque unà cum omnibus hominibus & Angelis in nihilum redigi, quàm unicum peccatum, sive mor-


tale, five veniale committi. Quis ergo non exhorrefcat, fi peccatum peccato puniri audiat: ô caftigatio crudelis! ô ira immanis! ô furor implacabilis! Quis hoc valet audire, quis cogitare penitiùs, quin toto tremifcat corpore, & tinniant ambæ aures ejus? O fegetem malam ex peffima natam femente, cum culpa ipfa fit pœna culpæ! & verò tales ex tali radice progigni fructus teftatur Magnus ille Gregorius. (y) *Si*, inquit, *culpa citiùs pœnitendo non tergitur, jufto judicio omnipotens DEUS obligatam peccatis mentem etiam in culpam alteram permittit cadere, ut qui flendo, & corrigendo noluit mundare, quod fecit, peccatum incipiat peccato cumulare.*

X. Sed cave, ô Peccator, ne, dum audis peccatum effe pœnam peccati, conftituas DEUM autorem peccati: (z) *DEUS enim intentator*

(y) S. Greg. lib. 25. mor. cap. 12.
(z) Jacobi. 1. 13.

tentator malorum est, & hoc ipso, quia DEUS est, peccatum facere non potest. Peccatum DEUS punit peccato, non illud volendo, sed permittendo: non inclinando voluntatem hominis ad peccandum, sed subtrahendo gratiam efficacem ad resistendum. Vult DEUS, & verò monet, jubétque, ut homo fugiat peccata, atque ut fugere possit, sufficientia præbet auxilia, sed homo, cùm posset non peccare, peccat ex malitia. Et DEUS, cùm posset impedire peccatum, illud permittit ex justitia: valde enim videtur æquum esse, ac rationabile, ut ei negetur peculiare beneficium, qui se tali beneficio fecit indignum: Interim tamen, ô Homo, si lapsus es in peccatum, noli, quasi iterum peccaturus, despondere animum. Novit DEUS mutare rigorem

justitiæ suæ, si tu coneris amovere putorem malitiæ tuæ: quiescet furor & ira ejus, fiétque placabilis super admissa nequitia, si tu quoque quieveris perversè agere, & redieris ad eum cum omni fiducia. Cessa igitur peccare, atque incipe DEUM amare, ut & DEUS cesset à pœna, téque liberet ab omni culpa. Mereberis auxilium copiosum, si conatum adhibueris generosum



CA-

CAPUT III.

Dolor seu contritio de peccato mortali ex sacris literis.

I.

DOmine Omnipotens DEUS, (a) Patrum nostrorum, quem omnia pavent, & tremunt à vultu virtutis tuæ, peccavi super numerum arenæ maris: multiplicatæ sunt iniquitates meæ, & non sum dignus intueri altitudinem cæli; præ multitudine iniquitatum mearum: incurvatus sum, & non est respiratio mihi, quia excitavi iracundiam tuam, & malum coram te feci. Et nunc flecto genu cordis mei, precans à te bonitatem: Peccavi, Domine, peccavi, & iniquitates meas agnosco; quare

(a) Ex oratione Manassæ Regis Juda, in fine bibliorum.

peto rogans te, remitte mihi, Domine, remitte mihi, & ne simul perdas me cum iniquitatibus meis: neque in æternum iratus reserves mala mihi: quoniam tu es Dominus altissimus, benignus, longanimis & multùm misericors, & pœnitens super malitias hominum.

II. Justus es, Domine, & omnia justitia tua justa sunt: (b) & omnes viæ tuæ misericordia, & veritas & judicium. Et nunc, Domine, memor esto mei, & ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. Benedictum est nomen tuum, DEUS patrum nostrorum, qui cùm iratus fueris, misericordiam facies, & in tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te. Ad te, Domine, faciem meam converto: ad te oculos meos dirigo: peto, Domine, ut de vinculo improperii absolvas me:

(b) Ex lib. Tobiæ. cap. 4.

me : non enim delectaris in perditionibus nostris ; quia post tempestatem tranquillum facis, & post lachrimationem & fletum exultationem infundis. Sit nomen tuum, DEUS Israël, benedictum in sæcula.

III. DEUS, (c) cujus iræ nemo potest resistere, & sub quo curvantur, qui portant orbem, (d) cur faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? (e) scribis contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ? (f) Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus? (g) loquar in tribulatione spiritûs mei, & confabulabor cum amaritudine animæ meæ, (h) quia sagittæ Domini in

(c) Ex libro. Job. v. 4. cap. 9. (d) Cap. 13. v. 20. (e) Cap. 13. vers. 26. (f) Cap. 14. 13. (g) Cap. 7. 11. (h) Cap. 6. vers. 4.

me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum: & terrores DEI militant contra me. (*i*) Cogitationes meæ diſſipatæ ſunt, torquentes cor meum: (*k*) iratus eſt contra me furor ejus, & ſic me habuit, quaſi hoſtem ſuum. (*l*) Comparatus ſum luto, & aſſimilatus favillæ & cineri. (*m*) Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo: (*n*) veruntamen vias meas in conſpectu ejus arguam. (*o*) Quantas habeo iniquitates & peccata? ſcelera mea, & delicta mea oſtende mihi. (*p*) Si juſtificare me voluero, os meum condemnabit me, & ſi innocentem oſtendero, pravum me comprobabit.

IV. Peccavi, & verè deliqui, &, ùt dignus eram, non recepi: (*q*) idcir-

(*i*) Cap. 17. v. 11. (*k*) Cap. 19. v. 11. (*l*) Cap. 30. v. 19. (*m*) Cap. 13. v. 15. (*n*) Cap. 13. v. 10. (*o*) Cap. 13. v. 23. (*p*) Cap. 9. verſ. 20. (*q*) Ex eodem libro Job. c. 33. v. 27.

idcirco ipſe me reprehendo, & ago pœnitentiam: (*r*) peccavi: quid faciam tibi, ô Cuſtos hominum? (*s*) Dicam Deo: (*t*) noli me condemnare; (*u*) parce mihi, nihil enim ſunt dies mei. (*x*) Nunquid bonum tibi videtur, ſi opprimas me, opus manuum tuarum? (*y*) Memento, quæſo, quòd ſicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me. (*z*) Tu quidem greſſus meos dinumerâſti, ſignâſti quaſi in ſacculo delicta mea, (*a*) ſed parce peccatis meis; (*b*) manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat. (*c*) Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nónne tu, qui ſolus es? (*d*) Cur non tollis

(*r*) Cap. 42. v. 6. (*s*) Cap. 7. v. 20. (*t*) Cap. 10. v. 2. (*u*) Cap. 7. v. 18. (*x*) Cap. 10. v. 3. (*y*) Cap. 10. v. 9. (*z*) Cap. 14. v. 16. (*a*) Cap. 14. v. 16. (*b*) Cap. 13. v. 21. (*c*) Cap. 4. v. 4. (*d*) Cap. 7. v. 21.

tollis peccatum meum? & quare non aufers iniquitatem meam? (*e*) Libera me, Domine, & pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. (*f*) Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevì? dimitte ergo, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine. (*g*) Quis det, ut veniat petitio mea, &, quod exspecto, tribuat mihi DEUS? & qui cæpit, ipse me conterat, solvat manum suam, & succidat me? Et hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat. (*h*) Justificationem, quam cæpi tenere, non deseram. (*i*) Operi manuum tuarum porriges dexteram.

V. Exitus aquarum deduxerunt oculi

(*e*) Cap. 17. v. 3. (*f*) Cap. 10. v. 20. (*g*) Cap. 6. v. 8. (*h*) Cap. 27. v. 6. (*i*) Cap. 14. v. 15.

oculi mei, (*k*) quia non custodierunt legem tuam. (*l*) DEUS tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. (*m*) Reminiscere miserationum tuarum, Domine, & misericordiarum tuarum, quæ à sæculo sunt. (*n*) Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. (*o*) Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo, multum est enim. (*p*) Vide humilitatem meam, & laborem meum, & dimitte universa delicta mea. (*q*) Quia apud te propitiatio est, & propter legem tuam sustinui te. (*r*) Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. (*s*) Quoniam sagittæ tuæ infixæ

(*k*) Psalm. 118. 36. (*l*) Psalm. 68. 8. (*m*) Psalm. 24. 6. (*n*) Psal. 24. 7. (*o*) Psalm. 24. 11. (*p*) Psalm. 9. 14. (*q*) Psalm. 129. 4. (*r*) Psalm. 6. 2. (*s*) Psalm. 37. 3.

ſunt mihi, & confirmâſti ſuper me manum tuam. (t) In me tranſierunt iræ tuæ, & terrores tui conturbaverunt me. (u) Non intres in judicium cum ſervo tuo, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. (x) Si iniquitates obſervaveris, Domine, Domine, quis ſuſtinebit? (y) Ne avertas faciem tuam à me, & ne declines in ira à ſervo tuo. Adjutor meus eſto, ne derelinquas me, neque deſpicias me, DEUS ſalutaris noſter.

VI. Ne projicias me à facie tua, & ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me. (z) DEUS ne elongeris à me, DEUS meus in auxilium meum reſpice. (a) Ne perdas cum impiis, DEUS, animam meam, & cum viris ſanguinum vitam

(t) Pſal. 87. 17. (u) Pſal. 142. 2. (x) Pſalm. 129. 3. (y) Pſalm. 26. 9. (z) Ex eodem Pſalterio Davidis. Pſalm. 70. 12. (a) Pſalm. 25. 9.

tam meam. (*b*) Ne ſimul tradas me cum peccatoribus, & cum operantibus iniquitatem ne perdas me. (*c*) Quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendero in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem? (*d*) Nunquid narrabit aliquis in ſepulchro miſericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione? (*e*) Nunquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua, & judicia tua in terra oblivionis? Beatus vir, cui non imputavit (*f*) Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu ejus dolus. (*g*) Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. (*h*) Miſerere mei, DEUS, ſecundùm magnam miſericordiam tuam, & ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum de-

(*b*) Pſalm. 23. 2. (*c*) Pſal. 29. 10. (*d*) Pſalm. 87. 12. (*e*) Pſalm. 87. 13. (*f*) Pſalm. 31. 2. (*g*) Pſalm. 31. 2. (*h*) Pſalm. 50. 3.

le iniquitatem meam. (*i*) Amplius lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. (*k*) Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. (*l*) Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele. (*m*) Cor mundum crea in me, DEUS, & spiritum rectum innova in visceribus meis. (*n*) Libera me de sanguinibus DEUS, DEUS salutis meæ, & exaltabit lingua mea justitiam tuam.

VII. Justitia tua, sicut montes DEI, & judica tua abyssus multa. (*o*) Justitia tua, in æternum; & lex tua veritas. (*p*) Quoniam fecisti judicium meum, & causam meam: sedisti super thronum, qui judi-

(*i*) Psalm. 50. 4. (*k*) Psalm. 50. 7. (*l*) Psalm. 50. 11. (*m*) Psalm. 50. 12. (*n*) Psalm. 50. 16. (*o*) Ex eodem Psalterio Davidis. Psalm. 118. 142. (*p*) Psalm. 9. 5.

judicas justitiam. (q) A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus à facie iræ indignationis tuæ. (r) Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua, conversus sum in ærumna, dum configitur spina. (s) Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem. Totâ die contristatus ingrediebar. (t) Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. (u) Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, &, sicut onus grave, gravatæ sunt super me. (x) Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. (y) Super me confirmatus est furor tuus, & omnes fluctus tuos induxisti super me: (z) & ego

(q) Psal. 38. 11. (r) Psalm. 31. 4.
(s) Psalm. 37. 7. (t) Psalm. 37. 4.
(u) Psalm. 37. 5. (x) Psalm. 37. 6.
(y) Psalm. 87. 8. (z) Ps. 77. 59.

ego ad nihilum redactus ſuum, & neſcivi. (*a*) Cor meum conturbatum eſt, & dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum. (*b*) Quoniam comprehenderunt me mala, quorum non eſt numerus. Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, ut viderem. Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me. (*c*) Afflictus ſum, & humiliatus ſum nimis, rugiebam à gemitu cordis mei.

VIII. Domine ante te omne deſiderium meum, (*d*) & gemitus meus à te non eſt abſconditus. (*e*) Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. (*f*) Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt, & complacui in veritate tua. Dixi

(*a*) Pſalm. 54. 5. (*b*) Pſalm. 39. 13. (*c*) Pſalm. 37. 9. (*d*) Ex eodem Pſalterio Davidis. (*e*) Pſalm. 22. 4. (*f*) Pſalm. 25. 3.

Dixi confitebor adversum me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. (*g*) Delictum meum cognitum tibi feci, & injustitiam meam non abscondi. (*h*) Bonum mihi, Domine, quoniam humiliâsti me, ut discam justificationes tuas. (*i*) Priùs quam humiliarer, ego deliqui, propterea eloquium tuum custodivi. (*k*) Cognovi Domine, quia æquitas judicia tua, & in veritate tua humiliâsti me. (*l*) Justus es Domine, & rectum judicium tuum. (*m*) Fac cum servo tuo, secundùm misericordiam tuam. (*n*) Sacrificium DEO spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum DEUS non despicies.

IX. Domine DEUS meus, in te speravi, salvum me fac ex omnibus

(*g*) Psal. 31. 5. (*h*) Psal. 118. 71. (*i*) Psalm. 118. 66. (*k*) Psal. 118. 75. (*l*) Psal. 118. 137. (*m*) Psal. 118. 124. (*n*) Psalm. 50. 19.

nibus persequentibus me. (o) Quia dixerunt inimici mei mihi, & qui custodiebant animam meam, concilium fecerunt in unum, dicentes: (p) DEUS dereliquit eum, persequimini, & comprehendite eum, quia non est, qui eripiat. (q) Exurge, Domine, in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum meorum. (r) Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me. (s) Inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eruas me. (t) Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequentibus me. (u) Ne tradas me, Domine, à desiderio meo peccatori. (x) Exurge, Domine, præveni eum, & supplanta eum, ne quando

(o) Ex eodem Psalterio Davidis. (p) Psalm. 70. 10. (q) Psalm. 70. 11. (r) Psalm. 7. 7. (s) Psalm. 24. 19. (t) Psalm. 30. 3. (u) Psalm. 30. 16. (x) Psalm. 139. 9.

quando rapiat, (y) ùt leo, animam meam, dum non eſt, qui redimat, neque qui ſalvum faciat. (z) Reſpice in me, & miſerere mei: (a) da imperium tuum puero tuo, & ſalvum fac filium ancillæ tuæ.

X. Surgam & ibo ad patrem meum; & dicam ei: (b) Pater, peccavi in cœlum, & coram te: (c) jam non ſum dignus vocari filius tuus; fac me, ſicut unum ex mercenariis tuis. (d) Dominus meus! & DEUS meus! patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. (e) Domine, ſi vis, potes me mundare. (f) JESU, Fili David, miſerere mei: (g) Eſto propitius mihi peccatori. (h) Fili David,

(y) Pſal. 7. 3. (z) Pſalm. 24. 16. (a) Pſalm. 85. 16. (b) Ex Evangelio Chriſti. Luc. 15. 17. (c) Joan. 20. 28. (d) Matth. 18. 26. (e) Matth. 8. 2. (f) Marc. 10. 47. (g) Luc. 18. 13. (h) Matth. 9. 27.

David, miserere nostri: (*i*) da, ut aperiantur oculi nostri. (*k*) Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. (*l*) Et ne ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo,

A M E N.



VIII. PARS

(*i*) Matth. 20. 33. (*k*) Matth. 6. 12. (*l*) Matth. 12. 13.

VIII.

PARS

DE

MOTIVIS ELICIENDÆ CONTRITIONIS

SUPER

PECCATO VENIALI.

I.

Sordes ejus in pedibus ejus; nec recordata eſt finis ſui. *Thren. cap. 1. verſ. 9.*


II.

Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet. *Joan. cap. 3. v. 10.*

III.

Ampliùs lava me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me. *Pſalm. 50. v. 4.*

CA-



CAPUT. I.

De quinque damnis peccati venialis.

I.

PEccatum veniale offendit Deum infinitè bonum, atque adeò malitiam quandam contrahit infinitam, quæ tamen inferioris eſt ordinis, quàm ea, quæ reperitur in peccato mortali. Et hoc, teſte Nicolao Lancicio, volebat olim S. Ignatius Loyola, (*m*) ſuos accuratiùs expendere, *ut gravitatem venialis peccati colligerent ex magni-*

(*m*) S. Ignat. apud Lanc. opuſc. ſp. 16. c. 3. num. 28.

magnitudine objecti, quod, cùm sit infinitum, culpam quamlibet aggravat in immensum, usque adeò, ut pro minimo peccato veniali nulla creatura sive Angelica, sive humana possit plenè, perfectéque satisfacere, præter unum Christum, qui cùm DEUS sit, & Homo, ac consequenter dignitatis infinitæ, etiam opera, meritáque habet valoris infiniti, quæ malitiam infinitam infinitorum etiam peccatorum, si darentur, ad plenum possunt expiare.

II. Ex hoc sequitur, (*n*) nec ipsam DEI matrem, (*o*) nec ullum alium sive hominem, sive angelum, (*p*) imò neque omnes omnino homines atque angelos simul sumptos posse pro uno peccato veniali, de condigno (uti loquuntur in scholis) satisfacere, licet

(*n*) S. Thom. Cajetan. (*o*) S. Bonavent. Suarez. (*p*) Tanner. cit. à Lancicio loc. cit. num. 30.

licèt omnia ſua merita conjicerent in unum cumulum, Deóque pro illius expiatione peccati offerrent, ſi ſcilicet ponamus ea merita à meritis Chriſti eſſe ſejuncta. Tanta ineſt peccatis etiam illis, quæ nos levia vocamus, gravitas malitiæ, támque inexpiabilis reatus culpæ. Et hoc eſt, quod DEUS Pater S. Catharinæ Senenſi dixit. (*q*) *An ignoras, Filia mea, quòd omnes pœnæ, quas anima ſuſtinet, vel ſuſtinere poteſt, in præſenti ſæculo, nullo modo condignæ ſint ad culpam etiam minimam expiandam, quoniam offenſa, quæ mihi fit, qui ſum bonum infinitum, procul dubio exigit ſatisfactionem infinitam.* Hoc idem B. Catharina Genuenſis à ſpiritu ſancto edocta confirmat his verbis. (*r*) *Quid, putas præſtarem, quantíve facerem, etiamſi tot ſanguineas lachrymas profunderem, quot maris*

L

(*q*) S. Catharina Senenſ. cap. 3. dial. initio. (*r*) B. Catharina Genuenſis in vita cap. 32.

maris sunt guttæ; ut satisfacerem pro peccatis meis? arbitraris, pro minimo peccato satisfacerem? Nequaquam. Nam si tantum paterer, atque tamdiu, quantum ipse Diabolus, ad hæc tot cruciatus & martyria in hoc tempore sustinerem, quot mente comprehendi possunt, non crediderim, amorem posse hæc apud DEUM significationis loco ducere, neque invenire vocabulum huic negotio congruum.

III. Peccatum veniale post peccatum mortale inter omnia mala maximum malum est: id quod testatur S. Hieronymus his verbis. (s) *Nescio an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in DEI contemptum admittitur.* Sanctus item Dorotheus: (t) *Longè melius est*, ait, *& corpus, & omnia corporea perire simul, quàm lædi animam in re etiam minima.* O quàm aliter sentiunt de peccatis venialibus sancti homines, quàm

(s) S. Hieronymus Ep. 14. ad Celantiam. (t) S. Dorotheus, sermo. 20.

quàm nos tepidi homunciones, qui ejusmodi delicta vix æstimamus, parùm curamus, modicè lugemus, frigidè confitemur, oscitanter expiamus. Saniora profectò nostra essent judicia, si vita purior & sanctior esset conscientia: sed nostram ignorantiam & cæcitatem animi suppleant verba magnorum amicorum DEI. (*u*) S. Ignatius in libro Exercitiorum spiritualium, vult *hominem ita esse constitutum, ut nullâ vel humanæ quantæcunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione proposita unquam adducatur, ut culpam licèt venialem tantùm, decernat admittere.* (*x*) S. Anselmus ita loquitur. *Si hinc peccati* sive mortalis, sive venialis *paterem, & illuc cernerem inferni horrorem, & necessariò uni illorum haberem immergi, priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me committe-*

(*u*) S. Ignatius in lib. exercit. spirit. de secundo modo humilitatis. (*x*) S. Anselm. lib. I, cur Deus homo. c. 21.

mitterem: mallem enim purus & innocens gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere. (y) Alphonsus Rodriquez interrogatus, cur fleret, ita respondit. *Quomodo non fleam, perspectam habens gravitatem peccatorum meorum? quandoquidem unum peccatum veniale contra DEUM commissum meretur, ut totâ vitâ defleatur.* Idem, S. Theresiæ de peccato veniali judicium fuit; (z) *Faxit DEUS*, inquit illa, *ut timeremus id, quod debemus timere, & intelligeremus, majus malum posse advenire ab uno peccato veniali, quàm à toto simul inferno, cùm hæc ipsissima sit veritas.* Eidem consentit B. Catharina Genuensis sic loquens. *(a) Apud DEUM nullum peccatum potest dici minimum, & ne quidem magnum, sed*

(y) Alphons. Rodriquez. in vit. ejus m. s. lib. 1. cap. 3. (z) S. Theresia in vita à se scripta. c. 25. (a) B. Catharina Genuensis in vit. cap. 20.

sed maximum, cùm sit contra summam ejus bonitatem.

IV. Da veniam, *Amice Lector*, quòd præter meam consuetudinem plura congeram testimonia in tuam utilitatem: (*b*) Nam *verba sapientum* (ùt ipse ait Sapiens) *sunt stimuli*, moventes animum ad sensum compunctionis, *& quasi clavi in altum defixi*, retinentes hominem in studio devotionis. Et sanè nemo melius percipit mentem Sanctorum, quàm qui legit, & discutit verba eorum: ex verbis enim, quæ Sancti dixerunt, nos quoque discimus sentire, quæ senserunt, facere, quæ fecerunt, fugere, quæ fugerunt. Inter omnes eos, quos legi, scriptores, vix alius ita vivaciter expressit gravitatem peccati venialis, quam illa (paulò antè nominata) B. Catharina Genuensis, cui DEUS ob raram vitæ sanctitatem lucidiùs ostendere dignatus

(*b*) Eccle. 12, 11.

natus est peccati fœditatem; quæ causa est, cur eam & in hoc & in sequentibus paragraphis sæpius in probationem præfixi thematis adducturus sim. Hæc igitur de malitia peccati venialis porro sic ait. (c) *Quando mihi concessum fuit intelligere, quam pavescenda sit umbra minimi actûs, qui sit contra DEUM, nescio, cur e vivis non excesserim. Tunc dixi. Non miror ampliùs, infernum esse tam horrendum, siquidem conditus est propter peccatum: tamen reputans animo, quod mihi, ostensum est, non arbitror, eum horrori peccati parem. Imò videtur mihi, quòd DEUS multò minorem inferno horrorem indiderit, adeò terribilis apparet vel umbra saltem peccati venialis: & quid in hujus comparatione erit peccatum mortale? planè mihi persuadeo, quòd illud conspiciens anima, quamvis esset immortalis, præ nimio dolore fieret mortalis. Nam sola obscu-*

(c) B. Catharina Genuensis in vita cap. 24.

obscura visio hac de re mihi oblata (quæ non nisi momentanea fuit) si paulò diutiùs durâsset, licèt corpus habuissem adamantinum, interjissem. Demum quidquid modis omnibus in medium adduco, respectu ejus, quod mens mea agnovit, mendacium mihi videtur. Dum hæc visio me pene exanimâsset, omnis in corpore meo sanguis fuit congelatus, tantámque debilitatem incurri, ut putarem mihi ex hac vita migrandum; sed Bonitas DEI *me superstitem voluit esse ad eam visionem enarrandum.* Hæc illa.

V. Peccatum veniale luctuosius est morte. Quod eadem Sancta testatur his verbis. (*d*) *Certum habe, quòd, si quis cerneret, quàm enorme sit unum tantùm veniale peccatum, potiùs eligeret in accensa fornace vivus consistere, quàm in se peccatum tolerare: &, si universum mare ignis esset, ad effugiendum peccatum, sese in medium*

(*d*) B. Catharina Genuensis in vita cap. 12.

dium ejus usque ad fundum demergeret, neque inde unquam prodiret, si sciret, quòd prodiens peccatum in se esset conspecturus. Ex quo apparet, veteres errâsse Philosophos, (*e*) qui dixerunt, mortem corporis *omnium terribilium* esse *terribilissimum*, (*f*) cùm tamen peccato quolibet, licet minimo, nil esse terribilius, nil dici crudelius, nil possit cogitari formidabilius, usque adeò, ut satius foret, mille mortes per acerbissima sustinere tormenta, quàm DEUM vel semel offendere veniali noxâ.

VI. Et sanè, (*g*) si mortem inter ac veniale peccatum velimus comparationem instituere, videbimus, hoc illi nimiùm quantùm præponderare. Nam *primò* quid est Mors aliud, quàm debitum naturæ,

(*e*) Aristotel. lib. 3. Ethic. cap. 8. & 9. (*f*) Epicurus apud Laertium. lib. 10. (*g*) Lancicius opusc. spirit. 16. cap. 1. num. 2.

ræ, tributum mortalitatis, initium beatitudinis, beneficium generis humani, dum is, qui moritur, dat suâ morte ei, qui nascitur, locum vitæ? E contrario autem Peccatum veniale quid est aliud, quàm rationalis ignominia creaturæ, injuria DEI, dedecus mundi, abominatio cæli, purulenta sanies orci, probrum vitæ, macula animæ, contumelia gentis humanæ, adeò quidem, ut, si nec gloria cælestis esset, neque pœna infernalis, imò nec Numen Deitatis, nihilominus una peccati venialis malitia plùs foret timenda, quàm Cæli, terræque interitus, ac totius ruina universi. *Secundò*, Mors malum est solius pœnæ, quod DEUS ipse velle potest, atque inferre, sicut scriptum est. (*b*) *Vita*, & *Mors*, *paupertas*, & *honestas*, *à DEO sunt.* Sed Noxa venialis malum est culpæ, quod DEO tan-

(*b*) Eccli. 11. 14.

topere repugnat, ut DEUS mallet non esse DEUS, quàm ei vel ad momentum esse obnoxius: unde scriptum est. (i) *Absit à DEO impietas, & ab omnipotente iniquitas.* *Tertiò*, Mors est occasio virtutis, palæstra fortitudinis, patientiæ materies, augmentum gratiæ, finis miseriæ, initium gloriæ, consummatio coronæ. Peccatum verò veniale clades est virtutum, jactura meritorum, pestis animarum, principium ruinæ, fons lethalis malitiæ, origo calamitatis extremæ. *Quartò*, Viri sanctimoniâ vitæ clari Mortem, ceu magnum DEI beneficium ex animo optârunt, cum desiderio exspectârunt, cum gaudio tolerârunt; qui tamen ipsi Veniale peccatum summo prosecuti sunt odio, neve illud committerent, sollicitè caverunt, aut, si fuit commissum, acerbè planxerunt. *Quintò* denique Christus ipse,

(i) Job. 34. 10.

se, qui summa est veritas, & sanctitas infinita, mortem corporis non solùm non abhorruit, recusavit, aut fugit, (*k*) sed eam ultrò elegit, quæsivit, ac tulit: (*l*) cùm interim Peccatum quodlibet extremè sit execratus, atque, ut penitus id aboleret, fecerit magna, dixerit multa, passus sit mira.

VII. Peccatum veniale pejus est inferno. Sic enim scribitur in vita B. Catharinæ Genuensis. (*m*) *Fuit illi in spiritu demonstratum, multò intolerabiliorem esse DEI offensam, quamlibet exiguam, ipso Luciferi inferno: præterea videns, quàm gravis ea sit, tantus in corde ejus ignis exarsit, ut in morbum inciderit, & pene extincta sit.* Et, dum alio tempore ostensum illi esset, quantopere unum solummodo veniale peccatum noceat, novum sustinuit im-

 petum

(*k*) Isai. 53. 7. (*l*) Joan. 18. 4.
(*m*) B. Catharina Genuensis. in vita cap. 27.

petum ignis, adeò in corde exæstuantis, ut corpus ejus perferre non valens disrumpi putaretur. Procul dubio; si DEUS illi unum ejusmodi peccatum in ea visione demonstrâsset, è vestigio animam reddidisset: dicebat postea. (n) *Qui perspiciunt, quanti momenti sit DEI offensa non possunt alium æstimare cruciatum, neque alium infernum, quàm illam ipsam offensam, adeò terribilis mihi videtur vel umbra venialis peccati.* Hæc illa, & author vitæ illius.

VIII. Ne autem putes hæc dici per auxesim, (o) aut aliquem excessum pietatis, rationem affero in confirmationem allatæ veritatis. Quæro enim ex te, Amice Lector. Quid reddit infernum adeò horrendum, ac formidabilem? Tria, ni fallor, dices *Dæmones*, qui pœnas inferunt: *Animæ*, quæ pœnas susti-

(n) Eadem ibidem. cap. 24. (o) Lancicius opusc. spir. 16. cap. 2. num. 10.

ſuſtinent: *Pœnæ ipſæ*, quæ Dæmones & Animas cruciant: in hoc quippe ternario conſiſtit, quidquid horroris eſt in inferno. Sed nunquid hæc omnia tria, quæ dixiſti, ſunt opera ipſius DEI, & quodlibet eorum exiſtit ideò, quia creatur & conſervatur à DEO? Quis enim creavit *Dæmones*, conſervat *animas*, producit *pœnas*, niſi is, *à quo facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil?* (p) quomodo ergo quis malum eſſe credat, aut dicat horrendum, quod DEUS ipſe creat, quódque ejus eſt figmentum: (q) Si nôſſe deſideras, quid propriè malum ſit, quid verè horrendum, inquire rem illam, quæ DEI Bonitati tantopere eſt contraria, ut ſuam is potiùs amiſſurus ſit eſſentiam, quàm ejus producturus exiſtentiam. Quid autem hoc aliud, niſi ſolum atque unicum

(p) Joan. 1. 1. (q) Lancicius loc. cit.

peccatum sive magnum sive parvum? Omnia, quæ DEUS & velle potuit, & facere voluit, bona sunt, & quidem *valde bona*: (r) ergo omnia, quæ DEUS nec potuit velle, nec valuit facere, mala sunt, & quidem valde mala. Nolo pluribus hoc prosequi argumentum, ne pariam lectori fastidium. Si ea, quæ dixi, velis æquâ lance, & justo librare judicio, clarè poteris videre, peccatum veniale pejus esse inferno.

IX. Peccatum veniale turpius est Diabolo. Hoc eadem, quæ suprà citata est DEI famula, testatur his verbis. (s) *Fuit mihi in spiritu demonstratum, multò intolerabiliorem esse DEI offensam quamlibet exiguam ipso Lucifero in inferno.* Is, qui vitam hujus Sanctæ matronæ scripsit, de illa porro sic ait. (t) *Non valens*

(r) Gen. 1. 31. (s) B. Catharina Genuensis in vita cap. 27. (t) Eadem loc. cit. cap. 20.

valens ullo pacto DEI offensam videre, dixit Domino. Non detrecto, quin omnia Dæmonia cum universis illorum terroribus & suppliciis mihi morienti commonstres: nihil enim illa facio cum intuitu offensæ tuæ, licet minimæ, composita, quæ tamen non potest esse minima, eò quòd tua celsissima majestas offendatur. Quanta igitur, DEUM immortalem! peccati debet esse turpitudo, quod fœdius, ac monstrosius est ipso Diabolo? Vis scire, quàm turpis sit Diabolus, quàm fœdum hoc orci monstrum, eos interroga, quibus illud à Deo fuit ostensum: audies mira, videbis horrenda, & colliges inde, quàm fœda sint peccata, quantopere fugienda.

X. S. Antoninus in historia refert, (*u*) de Religioso quodam, qui revocatus ad vitam affirmabat, se malle transire per mundum aliquem

(*u*) S. Antonin. cit. à Lancic. opusc. spir. 16. cap. 2, num. 15.

quem ardentem, quàm iterum Dæmonia, uti priùs, aſpicere. S. Catharinam Senenſem DEUS Pater ſic eſt allocutus. (x.) *Bene recolis, Filia, quando ſemel Dæmonem in forma ſua tibi monſtravi, quaſi per ictum oculi, poſtquam ad ſenſus corporeos reſtituta fuiſti, tu potiùs eligebas ire per viam igneam usque ad diem judicii duraturam, quàm amplius eum intueri: nihilominus, licèt eum videris in breviſſimo ſpatio temporis, adhuc ignoras, quantùm ſit horribilis.* Et aliâ vice DEUS Pater eidem Sanctæ dixit. (y) *Tu nôſti, quòd tam horribilis ſit Dæmon, ut homines experti eligerent potiùs habere omnes pœnas vitæ præſentis, quàm eum in ſua figura videre.* Hoc idem S. Brigittæ Chriſtus indicavit his verbis. (z) *Si Dæmonum horribilis deformitas videretur, uti eſt, anima*

(x) S. Catharina Senenſis cap. 37. dial. (y) Eadem cap. 132. dial. (z) S. Brigitta lib. 5. revel. interrog. 9. reſponſ. ad q. 5.

anima videntis ex ipso visu extra sensum fieret, corpusque totum, quasi hominis trementi, contremisceret: cor etiam, quasi timore exanimatum moreretur, nec pedes sufficerent membra reliqua sustentare: moreretur homo per subitaneam mortem, propter horribilem visionem Dæmonum. In eundem sensum S. Chrysostomus ait. (*a*) *Dæmonem adeò esse horribilem, ut, si DEUS illi permitteret formidabilem illum suum & horrendum aspectum nobis ostendere, continuò mente dimoveremur, & solutis artuum compagibus evolaret animus è corpore.* Cùm ergo quilibet peccans sit *Dæmon incarnatus* (uti loquitur (*b*) S. Catharina Senensis) & omne peccatum sit fœdius ipso cacodæmone, cogita, quàm turpis & horrenda sit anima tua, si peccato (etiam veniali) sit inquinata.

CA-

(*a*) S. Chrysost. in Psal. 41. (*b*) S. Catharina Senen. cap. 132. dialog.

CAPUT II.

De aliis quinque damnis peccati venialis.

I.

PEccatum veniale gravissimè punitur in hoc mundo, id quod testatur S. Prosper his verbis: (c) *Peccata sive parva, sive magna impunita esse non possunt, quia aut homine pœnitente, aut DEO vindicante puniuntur.* Et hoc ipsum sacræ literæ multis confirmant exemplis. (d) Uxor Loth retrò respexit ex vitio curiositatis, & mox versa est in statuam salis. (e) Pauperculus Israëlita parum ligni collegit die sabbathi; atque ideò DEUS eum jussit extra castra lapidibus obrui. (f) Moyses & Aaron ad quas contradictionis

(c) S. Prosper in sent. S. Augustin. (d) Genes. 19. 26. (e) Num. 15. 36. (f) Deut. 32. 51.

ctionis parumper hæserunt diffisi DEO: unde ambo priùs, quàm venirent in terram promissionis, mortui sunt in deserto. (*g*) Pueri Bethlemitæ deridentes Elisæum fuerunt occisi dentibus ursorum. (*h*) David ex quadam præsumptione, seu superbia lustravit exercitum, atque in pœnam hujus peccati peste sublata sunt septuaginta millia virorum. (*i*) Oza nutantem arcam tetigit manu, & corruit miserabili extinctus casu. (*k*) Rex Ezechias suas opes ex vana gloria legatis Babiloniis ostendit, ac ideò suos thesauros unâ cum Filiis ac subditis suis per Babylonios amisit. (*l*) Ananias & Saphira mentiti sunt sancto Petro, & sanctus Petrus utrumque occidit maledictionis verbo.

II. In his exemplis horrore plenis

(*g*) 4. Regum 2. 23. (*h*) 2. Regum. 24. 25. (*i*) 2. Regum. 6. 7. (*k*) 4. Regum. 20. 16. (*l*) Actor. 5. 5.

nis quatuor potiſſimùm expendi poſſunt. (*m*) *Primò*, omnes eos, quos hactenus recenſui, doctorum virorum judiciô, non niſi venialiter peccâſſe. *Secundò*, eorum reliquos eximiè ſanctos, & peculiariter à DEO dilectos fuiſſe. *Tertiò*, DEUM à nullo eorum ſumpſiſſe pœnas ſupra meritum, ſed omnes mulctâſſe infrà condignum, ut qui nunquam homini ſic ſolet iraſci, eúmque punire, quin ſuam îram ac pœnam attemperet aliquâ miſeratione. *Quartò*, Peccata hoc modo punita haud multa fuiſſe, aut ſæpius repetita, ſed in quovis fere non niſi unum, nec niſi ſemel admiſſum. Ex quibus omnibus utiliſſima poſſunt erui documenta, quæ tibi, ne juſto prolixior ſim, relinquo, Amice Lector, conſideranda.

III. Pec-

(*m*) Lancicius opuſc. ſpir. 16. cap. 7. 8. 9. 10.

III. Peccatum veniale acerbè castigatur in purgatorio: id quod testatur venerabilis Beda his verbis. (n) *Committunt justi peccata venialia, & ideò necesse est, ut ii tales in ira DEI corripiantur, id est, in purgatorio.* Graves fuerunt pœnæ, quibus DEUS, ut anteà dixi, punivit venialia peccata viventium in hoc mundo: sed longè graviora sunt supplicia, quibus animas mortuorum ob levia delicta castigat in purgatorio. Ubi tria potissimum oportet attendere: Qualitatem animarum, quæ patiuntur: Quantitatem pœnarum, quæ inferuntur; Parvitatem culparum, quæ puniuntur. Et *primò* quidem Animæ, quæ patiuntur in purgatorio, sunt omnes sanctæ, justæque coram DEO, confirmatæ in gratia DEI, præ ordinatæ ad gloriam cœli: imò quædam ex iis ob vitæ sanctitatem, quam coluerunt in terris

(n) Beda in Psal. 37.

ris, ingentia habent merita, paulò post remuneranda in cœlis: fit etiam interdum, ut animæ Sanctorum eo ipso tempore, quo subtus terram flammis crucientur piacularibus, in terra magnis afficiantur honoribus, tum propter virtutes, quibus ornati erant in vita, tum propter miracula, quæ fiunt ad eorum sepulchra. *Secundò*, Pœnæ, quæ inferuntur in purgatorio, sunt admodum graves in pondere, mensura, & numero, adeò quidem, ut in earum comparatione nihil simile reperiatur in toto terrarum orbe: id quod verba Sanctorum Patrum, & multæ testantur relationes historiarum. S. Julianus Archiepiscopus Toletanus ita loquitur. (o) *Gravior est ignis purgatorii, quàm quidquid homo potest pati in hac vita.* Et S. Cæsarius: (p) *Ille ignis purga-*

(o) S. Julian. lib. 2. prognost. cap. 19. (p) S. Cæsarius. hom. 8. ad populum.

purgatorii, inquit, *durior erit, quàm quod potest pœnarum in hoc sæculo aut videri, aut cogitari, aut sentiri*, Venerabilis item Beda: (q) *Purgatorii corrictio gravior est, quàm quidquid unquam passi sunt latrones, vel sancti Martyres, vel quidquid gravius homo possit ex cogitare.* (r) Unde & S. Thomas asserit, *pœnam minimam purgatorii excedere maximam pœnam hujus vitæ.* Confirmat hoc sancta quædam Virgo, quæ existens in raptu dixit. (s) *Omnia tormenta, quæ passi sunt sancti Martyres, sunt quasi amœnus hortus, respectu eorum, quæ infliguntur in purgatorio.*

IV. Culpæ *denique*, quæ puniuntur in purgatorio, (t) sunt sæpe admodum leves in judicio humano, ita quidem, ut quandoque vix

(q) Beda in Ps. 37. (r) S. Thom. in 4. d. 21. q. 1. art. 1. q. 3. (s) B. Maria Magdalena Pazzia 2. par. vit. c. 13. pag. 169. (t) Lancicius opusc. spir. 16. cap. 11. num. 197.

vix speciem videantur habere peccati, & sæpe virtutibus soleant adscribi: verò per acerbitatem pœnarum agnoscimus gravitatem culparum; cùm enim rectus ac justus sit Dominus DEUS noster, haud dubiè nunquam ita sæviret in animas sanctas, nisi justas haberet sæviendi causas. Mira profecta sunt, & digna consideratione, quæ variæ tradunt, narrántque historiæ. (u) S. Udalricus Episcopus Augustanus ideò flammis purgantibus addictus fuit, quia suum Nepotem, bono, uti rebatur, zelo, sibi successorem in episcopatu constituit. (x) Durannus Antistes purgatorium sat longo tempore sustinuit, quia subinde verba risum moventia protulit. (y) Soror S. Damiani propter oblectationem perceptam ex cantu audi-

(u) Surius t. m. 4. p. 50. (x) Vincentius Belluacens. in speculo hist. l. 26. cap. 5. (y) Harthem. Cart. lib. 2. instit. Christ. cap. 25.

audito, debuit octodecim diebus ardere in purgatorio. (z) Einulphus propter obolum furto sublatum, projectus est in puteum igneum, atque incredibilem sensit cruciatum. (a) Puer quidam novennis ob duos crucigeros (quos mutuò acceperat) ante mortem non solutos, adeò punitus est in purgatorio, ut matri suæ apparens dixerit. *Si omnes prunæ, quas unquam Carbonarii accenderunt, arderent in unum cumulum congestæ, & tu, dilecta mater mea, in medio stares cumulo, tales haud quaquam sentires dolores, quales nunc ego.* (b) Taceo plures alios, qui propter levissima delicta, gravissima passi sunt tormenta; alius quidam, quia nimi-

M um

(z) Cæsarius. lib. 12. cap. 57. (a) Philippus de Berbay mont. ex paradis. pueror & specul. exempl. dist. 9. §. 101. (b) Auct. vitæ B. Magdalenæ de Pazzis. hic & sequentes Autores citantur à Lancicio opusc. spir. 16. cap. 11.

bus non indiguit; (*f*) alius, quia veteres caligas sibi servavit, & in communi custodia non reposuit &c.

V. Peccatum veniale gratiam DEI obscurat, ardorem charitatis obtundit, meritorum augmenta retardat. (*g*) Testatur hoc Richardus Victorinus his verbis. *Parvæ negligentiæ obscurant animam, & impedimentum faciunt amplioris gratiæ.* Sanctus item Thomas. (*h*) *Peccata venialia diminuunt fervorem charitatis, actus virtutum corrumpunt, atque impediunt.* Certum atque indubitatum est, Gratiam DEI per labem venialem haud penitus auferri ab anima hominis, nemo tamen est, qui neget, eam ex hujus præsentia plurimum amittere decoris ac dignitatis. Non bene conveniunt, nec bene resident in uno corde

 Gra-

(*f*) S. Antoninus. (*g*) Richardus victor in cant. 5. (*h*) S. Thom. 1. 2. q. 28. art. 1. ad 1.

Gratia DEI, quæ pulchrior eſt Angelis, & *culpa peccati*, quæ turpior eſt Diabolis: quàm inconcinè ſuper unum eundémque thronum, & filius regis, & vile mendicabulum ſedet, tam importunè intra unum eundemque hominem & gratia DEI, & veniale peccatum hæret. (*i*) Gratia DEI cum noxa veniali in animo conjuncta, eſt ſicut arca fœderis juxta idolum Dagon in templo poſita.

VI. *Diffuſa eſt Charitas DEI in cordibus noſtris*, (*k*) ſicut aqua pura in mundiſſimis vaſis: (*l*) huic aquæ charitatis DEI, ſi miſceas lutum venialis peccati, mox ejus immutabitur color, vitiabitur odor, evaneſcet decor, intepeſcet vigor, ceſſabit ſapor, color omnis evaporabit: unde pleráque fatiſcent opera pietatis, languebunt ſtudia virtutis

(*i*) 1. Regum 5. 2. (*k*) Rom. 5. 5. (*l*) Juſtin. de grad. perfect. cap. 1.

tutis, torpebunt exercitia mortificationis: nihil arduum incipiet animus, exiguus erit in cœptis conatus, & similis conatui sequetur effectus, hoc est, vel omnino nullus, vel admodum imperfectus. Interea, dum ita vivitur tepidè, tempus elabitur vitæ, vox mediâ in nocte auditur. (*m*) *Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Tunc *fatuæ virgines*, stolidi juvenes, viríque insipientes *dormiunt, & dormitant omnes, neque oleum habent in lampadibus suis*, hoc est, nulla vel exigua merita ex suis operibus; qui luridè vivendo, & liberè peccando privârunt seipsos gratiæ & gloriæ thesauro: unde hi tales, vel *clausâ januâ*, remanent extra cælum, vel cælum ingressi occupant infimum ejus pavimentum.

VII. Peccatum veniale impedit favores extraordinarios, & gratias peculiares DEI: quod B. Albertus

(*m*) Matth. 25. 6.

tus Magnus testatur his verbis. (*n*) *Argumentum ingratitudinis habet, quando aliquis obstruit cor suum aliquâ malâ voluntate, vel rancore, vel levitate, vel delectatione temporali, vel amicitiâ carnali, præ quibus non potest dona spiritualia percipere.* Dona DEI in gemina ponuntur classe. Alia enim, naturalis sunt ordinis, alia supernaturalis. *Naturalis ordinis* sunt v. g. Vires integræ, sanitas constans, forma liberalis, familia nobilis, bona educatio, honesta sustentatio, facilis indoles, mores amabiles, amor hominum, favor magnatum, amplæ facultates, dignitates honorificæ, diuturnitas vitæ, claritas famæ &c. *Supernaturalis ordinis* sunt, divinæ illuminationes in intellectu, sanctæ, piæque commotiones in voluntate, profectus in virtute, augmentum gratiæ, meritorum cumulus, glo-

riæ

(*n*) B. Albertus Magnus in paradiso animæ cap. 25.

riæ theſaurus, peculiaris protectio DEI, cura & directio boni Confeſſarii, amotio periculorum, malarum ſublatio occaſionum, præſervatio à peccatis, elongatio à pravis ſociis, remiſſio culpæ, emendatio vitæ, ſtabilis horror mali, conſtans inclinatio ad bonum, inſtigatio ad ſublimem virtutis gradum, vocatio ad ſtatum ſeu ordinem religioſum, gratiæ gratis datæ, functiones DEO glorioſæ, munia proximo utilia & propriæ congrua ſaluti &c.

VIII. Et hæc & illa DEI dona ac beneficia ſæpe tolluntur, vel certè impediuntur per venialia peccata: (*o*) Priora quidem, hoc eſt, *dona naturæ* ex juſta vindicta DEI: poſteriora verò, hoc eſt, *dona gratiæ*, ex ipſa natura peccati. Sicut enim lignum conſumit ignis, atque ignem extinguit aqua, ita pec-

 catum

(*o*) S. Bern. ſerm. 2. de ſeptem panib.

catum fugat ſpiritum ſanctum, ejúſque dona peſſundat. (p) Et certè experientia probat, eos ſive Juvenes, ſive Viros, qui facilè, ac temerè committunt peccata venialia, nihil præclaræ dotis, aut ſolidæ virtutis poſſidere in ſua anima. Eorum, ſi lubet, expende qualitatem morum, & magnam reperies egeſtatem donorum: illi etenim rarò ac tepidè orant, ſpiritualia cum faſtidio audiunt, parum cogitant de DEO, vix quidquam agunt pro cælo, ſe totos devovent mundo, & nihil fere ſapiunt, niſi quod eſt terrenum: divitias amant, optant delicias; ſerviunt voluptati, vanitati obediunt: triſtari nunquam, nunquam dolere volunt, ſed ſemper lætari, ſemper ridere geſtiunt; gaudia cogitant de die, gaudia ſomniant de nocte; vacant luſibus, gaudéntque jocis, indulgent

(p) Lancicius tom. 2. op. ſp. 16. c. 4. num. 84.

gent potibus, & inhiant cibis: fruuntur amoribus, ſectantur amicitias; viros fugiunt ſerios ac graves; ſocios quærunt diſcolos ac leves: quidquid durum eſt, averſantur & removent: quidquid molle eſt, amplexantur & retinent, ſentiunt ſtolidè, loquuntur temerè, operantur luridè: nihil pium latet in corde, nihil ſanctum prodit ex ore, nihil divinum lucet in opere. Atque hæc viva effigies, veráque imago eſt hominis ad lapſum proni, & facilè venialiter peccantis.

IX. Peccatum veniale diſpoſitio, & via eſt ad peccatum mortale. (q) Teſtatur hoc S. Dorotheus his verbis. *Studeamus cuſtodire conſcientiam noſtram, neque conculcemus eam in aliquo, etiamſi minimum ſit: facilè enim ex his minimis, & verè vilibus ad magna committenda delabimur: curate levia, quoad levia ſunt, ne graviora*

M 5 *fiant:*

(q) S. Dorotheus ſerm. 5.

fiant: nam à minoribus & levioribus sensim incipit quis in majora, & graviora prolabi, & sic deinceps per partes proruens periclitatur, atque in profundum malitiæ decidit. Affirmat hoc idem S. Damascenus hac similitudine. (r) *Sicut in corporibus, qui parva vulnera negligunt, saniem plerúmque, ac mortem sibi ipsis accersunt, ad eundem modum etiam in animis hoc usu venit, ut qui minima vitia, ac peccata nihili pendunt, graviora sibi invehant: quatenus autem graviora peccata ipsis oboriuntur, contracto tandem habitu, anima in contemptum cadit: (s) impius enim, inquit ille, cùm in profundum venerit, contemnit, ac deinceps, ut sus, in cæno volutari gaudet: sic etiam anima pravæ consuetudini immersa, ne peccatorum quidem fœtorem sentit, verùm potiùs ipsis gaudet, & oblectatur, vitiúmque instar boni cujuspiam*

(r) S. Damascenus in vita SS. Barlaam & Josaphat. cap. 19. (s) Proverbior. 18. 3.

Juspiam arctissimè retinet. Hæc prona [illegible] hominis proclivitas, ac ruina ex peccato veniali in peccatum mortale, triplicem potissimum caussam atque originem habet, quarum *prima* est ex parte DEI, contra quem peccatur; *altera*, ex parte hominis, à quo peccatur; *tertia* ex parte rei, circa quam peccatur.

X. Et *primò*, (*t*) quidem DEUS ob peccata, quibus offenditur, ex justitia quasi cogitur ingrato peccatori majora negare auxilia, citra quæ facilis est lapsus in graviora delicta. Sic frequens mendacium, petulans convitium, temerarium judicium quandoque præparatio sunt, dispositio, ac via ad grande flagitium, quod utique commissum haud quaquam fuisset, nisi culpæ illæ leviores præcessissent. *Secundò*, Homo, dum sæpe peccat

(*t*) Lancicius tom. 2. opusc. sp. 16, cap. 4.

venialiter, paulatim acquirit habitum peccandi mortaliter, nam unus idémque habitus per actus vitiosos acquisitus inclinat hominis animum ad veniale & mortale peccatum. Sic v. g. qui sæpe solet jurare verum ex sola jocandi libidine, facilè potest jurare falsum, ex mala jurandi consuetudine; prius autem est peccatum veniale; posterius mortale. *Tertiò*, Res una & eadem, quæ potest esse materia peccati venialis, quandóque solet fieri materia peccati mortalis, vel ex aliqua affinitate, vel ex majore quantitate, vel ex pleniore libertate. Sic v. g. amor sensualis degenerat in carnalem, & furtum unius bacei excrescit in furtum unius ducati; sic morosa delectatio cum semiplena advertentia, fit consumata libido cum integra & perfecta malitia. Et hoc est, quod S. Thomas, S. Augustinus, aliíque unani-

unanimiter docent. Prior enim hac de re ita loquitur. (u) *Sicut accidens potest esse dispositio ad formam substantialem, ita & peccatum veniale ad mortale.* Posterior autem sic ait. (x) *Dum homines negligentes despiciunt peccata sua, quæ parva sunt, crescentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt, & demergunt. &c.*

CAPUT III.

Dolor seu contritio de peccato veniali ex Sanctis Patribus.

I.

DOmine JESU Christe, (y) Fili DEI vivi, qui in cruce expansis manibus propter mortalium

M 7

(u) S. Thom. 1. 2. q. 88. a. 3. ad 1.
(x) S. Augustinus. serm. 88. de temp.
(y) Ex S. Augustino in lib. Meditat. c. 38. & 39.

talium omnium redemptionem hauſiſti calicem paſſionis! coram magnificentia tuæ ſuavitatis confiteor adverſum me injuſtitiam meam. Ecce, Domine, quia in peccatis fui conceptus & natus, & tu me abluiſti, & ſanctificâſti, & ego poſtea me majoribus ſordidavi peccatis: fui enim in neceſſariis natus, poſtea in ſpontaneis volutatus multa commiſi illicita, multa perpetravi nefanda, & ubi peccata emendare debui, peccata peccatis addidi. Hæc ſunt mala mea, Domine, quibus exhonoravi te, & maculavi me, (quem ad imaginem, & ſimilitudinem tuam creâſti) ſuperbiâ, vanâ gloriâ, & cœteris malis multis, quibus vexatur, & affligitur, laceratur & deſtruitur infelix anima mea.

II. Ecce, Domine, (z) iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave grava-

tæ

(z) Ex eodem loc. cit.

tæ ſunt ſuper me: & niſi tu, cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere, dexteram tuæ majeſtatis ſupponas, mergi cogor miſerabiliter in profundum. Attende Domine DEUS, & vide, quoniam ſanctus: convertere, & eripe animam meam, ſalvum me fac propter miſericordiam tuam. Miſerere filio tuo, quem in dolore non modico peperiſti, & noli attendere malum meum, ut obliviſcaris bonum tuum: quis eſt pater, qui filium non liberet? aut quis filius, quem pater pietatis baculo non corripiat? Ego, Pater & Domine, licèt peccator ſim, non poſſum non eſſe filius tuus, quia tu me feciſti, & refeciſti: placare obſecro, & miſerere mei, & non avertas faciem tuam à me, ſed ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam.

III. O

III. O Domine DEUS meus! quomodo audeo te alloqui vilissima creatura? (a) Nam fœdissimus & horribilis sum, & vile stercus, vermísque nequissimus, & vanissimus; tu autem es DEUS Deorum, Rex Regum, & Dominus Dominantium, omne bonum, omne honestum, & omne pulchrum, omnis utilitas, & omnis amœnitas, tu mihi te tribuis, & ego te semper contemno, tu mihi servis, & ego te semper offendo: plus me allicit creatura, quàm creator; vanitas, quàm æternitas; detestabilissima miseria, quàm summa felicitas; plus me inclinant sordes, quàm elevet pulchritudo; servitus, quàm magnitudo; amaritudo, quàm dulcedo. Sed ne reminiscaris, Domine, delicta mea, vel parentum meorum, sed pietatis tuæ viscera, & dolores: vulnerum tuorum

(a) Ex S. Bonavent. in stimulo amoris cap. 17. §. devota oratio.

rum non quod ego, ſed quod tu feciſti, in me reſpice; non quod ego, ſed quod tu pro me ſuſtinuiſti, conſidera.

IV. Vivendo deſidiosè méque nimis, (*b*) & creaturas tuas inordinatè amando, ſubſtantiam meam diſſipavi, nunc mihi recognoſcenti penuriam & miſeriam meam, & famelico appetitu ad paternæ miſericordiæ viſcera redeunti ſuccurre miſerendo, & me oculis tuæ pietatis agnoſce, & dignare mihi radiis tuæ gratiæ lætabundus occurrere, & cum amplexibus pacis, & quietis oſcula largiaris mihi. Certè recognoſco, quòd in cælum, id eſt, totam curiam cæleſtem, imò in omnem creaturam tuam, & coram te, contemnendo peccavi, & malum coram te feci, & certè non ſum dignus vocari filius tuus, imò nec mercenarius, vel etiam ſervus tuus, aut aliqua viliſſima crea-

(*b*) Ex eodem loc. cit.

creatura tua, ſed miſerere mei, & dele iniquitatem, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum judicaris, quia dicunt animæ inimici mei: non eſt ſalus ipſi in DEO ejus. Obſecro, jube, ut detur mihi prima charitatis ſtola, fidei ſervientis annulus, & calceamentum elevantis & confirmantis ſpei; ſanguine veri vituli occiſi impinguetur & reficiatur affectus.

V. In unione acerbiſſimi doloris tui, (c) qui cauſam doloris mei aſſumpſiſti, & emendationem pro peccatis meis ſuſcepiſti, Domine JESU Chriſte, cum univerſitate dolentium, verè pœnitentium, & te in veritate quærentium, confiteor tibi omnia peccata mea, mala commiſſa, & bona omiſſa, vel non purè, aut negligenter facta, ſicut tu ea meliùs nôſti, in numero, pondere, & menſura. Rogo te

(c) Ex S. Bernardo, ad finem operum ejus.

te propter temetipsum, & per amorem piissimæ matris tuæ, gloriosæ virginis MARIÆ, & per intercessionem omnium Sanctorum tuorum ignosce omnibus peccatis, negligentiis, & ignorantiis meis, & ne me perdas cum omnibus iniquitatibus meis, neque in finem iratus reserves mala mea.

VI. Domine, (*d*) Abyssus profundissimus miseriæ meæ abyssum invocat altissimæ misericordiæ tuæ: ne contineas in ira miserationes tuas, & fontem inexhaustum misericordiæ tuæ circa me exsiccari propter peccata mea ne permittas, qui misereris omnium, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, dissimulans peccata hominum, propter pœnitentiam. Recordare, Domine JESU, quia tuum non est perdere quidquam eorum, quæ Pater tuus dedit tibi, quin tibi proprium est misereri semper & parcere,

(*d*) Ex eodem loc. cit.

re, neminem perdere, ſed nos ſalvare: nam Pater tuus miſit te in mundum, non ut judices mundum, ſed ut vitam habeamus per te, ut ſis propitiatio noſtra, & advocatus noſter, non contra nos. Miſerere ergo mei, dum tempus eſt gratiæ, & miſerationis, & dum tempus eſt emendationis, da mereri gloriam benedictionis, nę in die æmulationis me feriat verbum maledictionis. Fac me, quæſo Domine, aſſueta mala relinquere &, quæ tibi placent, peragere, ut felici tandem exitu ad te merear pervenire, JESU Chriſte, DEUS meus & Dominus meus.

VII. O anima mea ærumnoſa! (*e*) anima miſera miſeri homunculi! excute torporem tuum, & diſcute peccatum tuum, quid agis? quid torpes? ô anima peccatrix? En dies judicii venit, & juxta eſt dies

(*e*) Ex S. Anſelmo in meditationibus ejus.

dies Domini magnus, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. O vox Domini amara! Quid dormitas? ô anima tepida! ô arbor infructuosa, digna succidi, & succendi, quinam & ubi sunt fructus tui? utique spinæ pungentes, & amara peccata, quæ utinam te pungerent, ut confringerentur, sic amarescerent, ut evanescerent! Fortè parvum quid putas esse aliquod peccatum? sed heu me! nonne omne peccatum per prævaricationem DEUM exhonorat? quod ergo peccatum peccator audebit dicere parvum? DEUM enim exhonorare, quando est parvum? ô lignum aridum & inutile! quid respondebis in illa die, cùm exigetur à te usque ad nictum oculi omne tempus vivendi tibi impensum, qualiter fuerit expensum: tunc quippe condemnabitur, quidquid fuerit inventum operis vel otii,

sermo-

ſermonis vel ſilentii non ad DEI voluntatem directi. Væ! quot peccata prorumpent ibi ex improviſo, & quaſi ex inſidiis, quæ modò non vides, aut mala eſſe non putas, aut bona eſſe credis: tunc facie nudata apparebunt ingentia peccata.

VIII. O JESU Clementiſſime! (*f*) propter hoc nomen tuum, fac mihi ſecundùm nomen tuum. Obliviſcere ſuperbum provocantem, & reſpice miſerum invocantem. Nomen dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen beatæ ſpei. Quid eſt enim JESU, niſi Salvator? ergo propter temetipſum eſto mihi JESUS, qui me plasmâſti, ne peream. Ne me condemnes, quem redemiſti, ne pereat opus tuum mea iniquitate, quod tu creâſti ex tua bonitate. Rogo, piiſſime JESU, ne perdat me mea iniquitas, quem fecit tua omnipotens bonitas. Recogno-

(*f*) Ex eodem loc. cit.

gnoſce, benigniſſime DEUS, quod tuum eſt, & abſterge quod alienum eſt: miſerere mei, dum tempus eſt miſerendi, ne damnes me in tempore judicandi. Si me admiſeris intra latiſſimum ſinum miſericordiæ tuæ, non erit anguſtior propter me, ô Domine, admitte me ergo ô deſideratiſſime JESU! intra numerum electorum tuorum, ut te cum illis laudem, téque perfruar in ſæcula ſæculorum.

IX. Recordare mei, Domine, & ſalva me ſancte, qui inter ſanctos requieſcis: (g) ſana me, Domine, & ſanabor, qui ſolus ſapiens, & miſericors es medicus. Tuam ego bonitatem obteſtor, ſana vulnera animæ, & oculos mentis meæ illumina, ut tuam erga me diſpenſationem jugiter agnoſcam. Reſpice in me, & miſerere mei, meque erue de multitudine iniquitatum

(g) Ex S. Ephrem. in operibus ejus, mihi pag. 248. 249. & ſeq.

tatum mearum. Propitius esto mihi peccatori, atque indigno, nec sit mihi in judicium, quòd audeam nefariâ hac meâ linguâ impurísque labiis meis nominare sanctum nomen tuum, & superexaltatum in sæcula: verùm sit mihi invocatio nominis tui in illuminationem ac sanctificationem carnis ac spiritûs. Suscipe quæso, omnipotens DEUS, clamorem pœnitentis: audi vocem precantis. Peccavi, DEUS, miserere mei. Peccavi, DEUS, propitius esto mihi peccatori. Si iniquitates meas, ô Domine, observaveris, quomodo sustinebo? memorare, quæ mea substantia; memento, Domine, quia terra sum: memorare, quia pulvis & cinis sum. Aperi mihi manum tuam: porrige dextram tuam: parce malis meis, sana animam meam, quia peccavi tibi. Peccatum meum coram te confiteor: displicet mihi, quod feci,

fecì, difplicet, quòd majeftatem tuam offendi.

X. DEUS jufte & laudabilis, (*b*) DEUS magne & fortis, DEUS ante fæcula, exaudi me DEUS, exaudi me in tua fortitudine, & ne recorderis prævaricationum mearum. Tibi, Domine, foli bono confiteor peccata mea. Peccavi, Domine, peccavi, & non fum dignus refpicere altitudinem cœlorum, præ multitudine iniquitatum mearum. Et nunc, Domine DEUS meus, adoro, & imploro ineffabilem benignitatem tuam, confitens infirmitatem meam: ne irafcaris mihi, benigniffime Domine, neque iniquitatum mearum memineris, Recordare mei, Domine, in mifericordia & miferationibus, ne cum fuperbis ego condemner, ne à confpectu oculorum tuorum repellar, ne fempiternæ fiam particeps perditionis, ne penetralibus inferni

(*b*) Ex eodem loc. cit.

ni concludar, sed salvum me fac per gratiam tuam: & propter magnam clementiam tuam, miserere mei, quia benedictus tu es in sæcula sæculorum.

A M E N.



IX.
PARS
DE
MOTIVIS ELI-CIENDÆ CONTRITIONIS
SUPER
IMPERFE-CTIONE.

I.

Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus? *Thren. cap. 4. v. 1.*


II.

Charitatem tuam primam reliquiſti: memor eſto, unde excideris, & age pœnitentiam. *Apoc. cap. 2. v. 4.*

III.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur. *Pſal. 138. v. 16.*

CA-



CAPUT. I.

De quinque damnis imperfectionis.

I.

IMperfectio displicet DEO infinitè bono. Quemadmodum enim servus aliquis exosus est Domino suo, qui jussa ejus non quidem violat, sed negligenter observat: sic quivis homo molestus est DEO suo, qui placita ejus non quidem omittit, sed oscitanter facit. Et hoc videtur innuisse Rex Salomon, his verbis. *Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum.* Christus item quando dixit. *Cùm feceritis*

omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus, integrè nimirum, quoad substantiam, non autem perfectè, quo ad modum: neque enim prodest homini, aut placet DEO, si sola adsit operatio, & debita desit operi perfectio: unde, quidam ait. (*i*) *Sine charitate opus externum nihil prodest: quidquid autem ex charitate agitur, quantumcunque etiam parvum sit, & despectum, totum fructuosum efficitur: magis siquidem DEUS pensat, ex quanto quis agit, quàm quantum quis facit: multum facit, qui multum diligit, multum facit, qui rem bene facit.*

II. Dicebant olim Judæi Domino DEO. (*k*) *Quare jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti?* Et his responsum est ab eo. *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra*, voluntas

(*i*) Thomas à Kempis. l. 1. de imitat. Chr. cap. 25. (*k*) Isai. 58. 3.

tas nimirum tepida, voluntas im-
perfecta, voluntas vitiosa: (l) Nun-
quid tale jejunium est, quod elegi? &c.
Sicut DEUS rectus est, & per-
fectus, omnísque ejus operatio re-
cta & perfecta, sic & eos, qui Deo
serviunt, rectos esse, perfectéque
operari oportet, hoc enim & sum-
ma DEI perfectio requirit, & sum-
ma nostra subjectio exigit. Si pi-
ctor, aut Sculptor aliquis rudem
tabulam, aut statuam formet im-
politam, meretur veniam, atque
accipit mercedem, si tabula illa vel
statua spectet ad hominem ignobi-
lem, rusticum, vel civem: sed si
tale opus rudi arte, levíque bra-
chio faciat pro Principe, Rege,
aut Imperatore, irâ magis atque in-
dignatione dignus est, quàm præ-
mio, vel remuneratione. Et ta-
men, quid est Princeps, quid Rex,
quid dignitas Cæsaris, respectu
DEI, supremi ac summi Numi-
N 4 nis?

(l) Isai. 58. 5.

nis? nihil aliud, quàm pulex unus, canis mortuus, homuncio vilis, gleba terræ ignobilis. Hæc cogita, ô Homo, & audi, quid dicat DEUS: (m) *Maledictus ille, qui facit opus DEI negligenter.*

III. Imperfectio Sanctos angelos & homines contristat. Quemadmodum enim musica dissonans delicatas offendit aures, ita homo negligens beatas contristat mentes, & sicut cibus insulsus sanis faucibus affert molestiam, sic animus imperfectus sanctis hominibus auget tristitiam; id quod S. Anselmus testatur his verbis. (n) *Sicut sancti de profectibus fidelium gaudent, sic de lapsibus eorum tristantur.* Si clarum hujus rei velis habere exemplum, mitissimum intuere JESUM, (o) qui leves suorum Discipulorum defectus magnâ sæpe verborum asperita-

(m) Jerem. 48. 10. (n) S. Anselm. cit. à Nierenb. doct. asc. lib. 2. doct. 10. cap. 26. (o) Matth. 16. 23.

tate punivit. S. Petrum ex servido, sed imperfecto amore, sibi, suæque Passioni contradicentem, vocavit *Sathanam*, jussitque *retrò post se abire*, eò quòd scandalum esset sibi. (p) Duos Discipulos euntes in Emaus plùs æquo tristes ob mortem Magistri sui appellavit (q) *stultos, ac tardos corde ad credendum.* (r) Alios quoque Apostolos, ob modicum fiduciæ defectum in Dœmone ab homine ejiciendo commissum, verbis severis, vultúque irato sic increpuit. *O Generatio incredula & perversa! quoúsque ero vobiscum? quoúsque patiar vos?* (s) Denique cum è mundo esset abiturus ad Patrem suum *recumbentibus undecim Discipulis apparuit*, & pro ultima valedictione *exprobravit iis incredulitatem eorum, & duritiam cordis.*

IV. Post JESUM inter omnes homines mitissimum, nihil est man-

(p) Luc. 24. 25. (q) Matth. 17. 17.
(r) Marc. 9. 19. (s) Marc. 16. 16.

ſuetius MARIA matre JESU, & tamen hæc pia & clemens Virgo ſatis acerbè ſuorum clientum errata ſæpe corripuit. (*t*) Alphonſum Rodriquez eximiæ ſanctitatis virum propter unum, eúmque fortuitum mulieris aſpectum ſeveris verbis perſtrinxit, uti legitur in hiſtoria ejus vitæ. B. Hermanno, aliàs Joſeph dicto, DEI Mater in forma rugoſæ anûs apparens, hoc ejus in cultu ſuo deſidiam increpuit ſermone. *En qualem exteriùs me cernis oculo, talis interiùs in tuo ſum animo.* (*u*) Thomas à Kempis, dum Juvenis adhuc literis operam daret, & nimio ſtudiorum amore abſorptus nonnihil in cultu Deiparæ languere inciperet, hanc virginis iratæ meruit audire increpationem. *O crudelis inimice! ubi nunc conſuetæ preces tuæ? quomodo in te refrixit charitas?*

&

(*t*) Lancicius. t. 2. op. ſp. 16. cap. 6. num. 9. (*u*) Roſweidus in vita illius.

& pietas quondam habita vacillavit? Abi, abi à me: indignus es amore meo, qui tam faciles preces neglexisti. Da veniam mihi, ô dulcis Virgo, si parum loquar pro servulo tuo. Cur ita succenses bono Juveni? cur ita loqueris tuo clienti? quid is peccavit? in quo deliquit, ut is *hostis tuus* audire meruerit? cur eum vocas *inimicum crudelem*, qui nullam culpam admisit lethalem? cur eum, velut indignum, à te repellis, qui nec offensæ reus est venialis? Nonne preces, quas tibi spontè, atque ultrò obtulit, etiam spontè atque ultrò omittere potuit? bene fecerat eas anteà persolvendo, sed non peccavit illas postea omittendo; orandi enim consuetudo, fuit & bona voluntas, non autem obligatio, seu dura necessitas; cùm ergo nullum hic Juvenis violaverit mandatum, cur eum sic arguis, quasi magnum commiserit pecca-

tum ? Audio, quid dicas, ô Virgo, quæ amas animas. (x) *Imperfectum ejus viderunt oculi* tui, unde nomen meruit habere inimici: quicunque enim voluntatem DEI *perfectam* non facit, se tibi quasi hostiliter opponit, cùm omnis imperfectio, & inobedientia sit tibi, tuóque Filio contraria. An eum, inquis, habeam pro servo; & diligam sicut amicum, qui mihi servit infideliter, & frigidè colit meum filium ? Hæc illa: tu verò, si lubet, ita cogita. Si Bonitas JESU, & Charitas MARIÆ sit adeo severa in homines, qui pleni sunt sanctitate, quid mirum, atque insolitum sit, si tuos quoque defectus tuus quandoque arguat Superior, aut Confessarius ? qui & ipsi aguntur zelo salutis tuæ, qui spiritum Christi habent, & sensum MARIÆ gerunt in suo pectore.

V. Imperfectio longè majus malum

(x) Psalm. 138. 16.

lum est, quàm vulgò putetur. Quemadmodum enim teredo tenerrimus ligni vermiculus, licèt innocuum videatur esse animal, ingentes tamen trabes corrodit, & magna labefacta ædificia; sic imperfectio subtilis animi nævus, licèt parum obesse, aut étiam nihil incommodare videatur, excelsas tamen mentes subruit, & magna progenerat vitia. Aliam similitudinem dat S. Chrysostomus his verbis. (y) *Quemadmodum in corporibus vulnera, quæ negliguntur, febres gignunt & putrefactiones, & mortem denique, ita in animis pusilla, quæ dissimulantur, ad majora invitant.* Magnitudo humanæ Imperfectionis potissimum desumitur ab altitudine Divinæ majestatis, cujus voluntatem quocunque modo etiam citra peccatum transgredi, non potest res parva esse, aut malum exigui

(y) S. Chrysostomus in epist. ad Galat.

momenti. Qui novit, quid sit placere DEO, eique displicere, non indiget hujus rei longâ persuasione. Certè, quò homo sanctior est, & magis conjunctus Deo, eò illi manifestior est, magísque exosa Imperfectio. Hinc S. Diadochus ait. (z) *Anima, si ardorem ex cupiditate mundi collectum studiosè restrinxerit, etiam valde parva errata pro gravissimis ducens lacrymas multas continenter DEO offert.*

VI. Et hæc causa est, (a) quòd multi sanctorum hominum nævos minimos suarum imperfectionum velut ingentia peccata multùm sint detestati, nec sine fletu & singultibus confessi, uti de B. Aloysio scribit Ceparius; (b) de Alphonso Rodriquez Nierenbergius; (c) de S. Paula

(z) S. Diadochus cap. 27. (a) S. Gregorius in ps. 31. num. 6. (b) Cepar. vit. lib. 1. cap. 3. (c) Nierenb. in vita lib. c. 15.

S. Paula S. Hieronymus; (*d*) de B. Maria Ogniacensi Vitriacus Cardinalis. (*e*) O quàm alia perfectorum de imperfectione sunt judicia, quàm eorum, qui vivunt imperfectè, & multa committunt peccata? (*f*) *Cognitissimum mihi est* (dicebat B. Catharina Genuensis) *quòd quando amor purus vel exiguam imperfectionem deprehendit, si DEUS non averteret cogitationem, in pulverem redigeretur non corpus modò, sed & anima, nisi esset immortalis.* (*g*) Hoc ipsum confirmat S. Clara de monte Falco, quæ, teste Baptistâ Pergilio, scriptore vitæ ejus, *dicebat, se malle quodvis in hac vita subire supplicium, & in frusta concîdi, quàm voluntariè labi in aliquam imperfectionem, per quam ad momentum separetur à* perfectiore *charitate*

(*d*) S. Hieron. ep. 17. ad Eustoch. (*e*) Vitriac. in vita lib. 1. cap. 6. (*f*) B. Cath. Gen. in vita cap. 15. (*g*) Clara de monte Falco in vita. p. 2. cap. 2.

ritate DEI. (*h*) Hunc etiam referri potest dictum illud Joannis Berchmanni è Societate JESU. *Disrumpar potiùs, quàm vel minimam ordinationem, aut regulam voluntariè transgrediar. Potiùs amittam omnem sanitatem, quàm ob illam, ullam regulam prætergrediar. Potiùs moriar, quàm pro sanitate ullam regulam violem.* (*i*) Illud quoque præclarum SS. Theologiæ jubar Franciscus Suarez, dicebat, *se omnem suam doctrinam malle amittere, quàm vel unam orationem ex regula ordinis obeundam negligere*, tametsi ea regula ordinis non obligaret sub peccato.

VII. Imperfectio intellectum falsis principiis imbuit, ac voluntatem malis inclinationibus replet. (*k*) Quemadmodum enim (verba sunt Cardinal. Tusculani) *pulvis mate-*

(*h*) Hermannus Hugo in vita Berckmanni p. 4. fol. 255. (*i*) Menelog. Societ. ad diem 25. septemb. (*k*) Tusculanus hom. 128.

materialis pedes hominis maculat, oculos obturbat, os desiccat; sic pulvis spiritualis, seu imperfectio *affectus interiores inquinat, oculos intellectuales excæcat, os spirituale desiccat.* Et certè videre est homines non paucos, qui magnis multísque scatent erroribus, præcisè ideò, quia parum habent virtutis, ac multùm imperfectionis, Hi sanè, cùm contemplantur terrena, sunt linceis oculatiores, vidéntque acutiùs, quàm aquila, aut serpens Epidaurius: cùm verò speculantur divina, cæciores sunt talpis, vidéntque obtusiùs, quàm canis heri, aut hodie natus: si tractant negotia humana vel res profanas, pollent ingenio, florent eloquio, præstant judicio: aptè discernunt, doctè discurrunt, pulchrè concludunt; cogitant multa, dicunt mira, faciunt magna: & tamen hi ipsi (quod planè stupendum, dolendúmque est) in rebus

bus ex DEI nutu gerendis, ex ſpiritu Chriſti dijudicandis, ex ſenſu ſanctorum hominum amplexandis, ſunt valde rudes, & tantùm non ſimplices, usque adeò, ut ſæpe prima, & fere communia vitæ ſpiritualis principia videantur, aut prorſus ignorare, aut malè intelligere, vel certè parum curare: id quod eorum verba produnt, & multò magis opera oſtendunt. Tange venas, explora arterias hominis imperfecti, & ſtatim invenies ſigna latentis morbi: ex morum enim neglectu videbis animorum defectum, eúmque duplicem, *malitiam* nimirum, quæ eſt in voluntate, & *inſcitiam*, quæ eſt in intellectu: nec enim una ſolet eſſe ſine altera, imò hæc illius, & illa hujus mater eſt, ac filia: nam ſicut affectus turbatus vitiat intellectum, ita vitiatus intellectus turbat affectum: hæc autem utriusque vitioſa turbatio parit

rit illam caliginem in animo, quâ quis ſub ſpecie boni, veríque imagine, declinat in malum, atque aberrat à vero. Si citra errorem velis errores hominis imperfecti intelligere, vide paradigma, quod ſequitur numero ſequente.

VIII. Homo imperfectus *primò* exiguam perfectionis notitiam habet, aut certè vix ullam ejus curam præ ſe fert. *Secundò*, multa & magna imperfectionis damna non apprehendit, atque ideò committere imperfectionem pro nihilo ducit. *Tertiò*, vulgari ſeu mediocri virtute contentus eſt, nec porro ſtudet charismata æmulari meliora. *Quartò*, ſi quando ſublimes actus virtutum legit vel audit, eos ſubtiles conceptus hominum eſſe dicit, ac credit. *Quintò*, propinquam Chriſti imitationem, ceu rem à ſe alienam vix percipit cogitatione, ne

ne dum operatione perficit. *Sextò*, dolorem, contemptum, & paupertatem, aliáque, quæ ad Christi crucem pertinent, non tantùm non amat, quærit, & amplexatur, ſed valde odit, fugit, & averſatur. *Septimò*, Commoda rerum, & ſenſuum oblectamenta, ceu ſolidam felicitatem, ardenter optat, ſolerter indagat, intemperanter uſurpat. *Octavò*, plùs amat, curátque ſanitatem corporis, quàm ſanctitatem animæ, unde pro tuenda ac recuperanda valetudine non veretur agere imperfectè, aut etiam venialiter peccare. *Nonò*, Magnus amator & mirator eſt naturæ: hinc dona naturalia ſuſpicit in ſeipſo ſuperbè, in aliis diligit immodicè. *Decimò*, inter ſupernaturalia DEI beneficia, ea præ cæteris optat & quærit, quæ plus habent ſplendoris, & admirationis, plus afferunt honoris, & oblectationis. *Undecimò*,

Homines divites, nobiles, ac potentes, ceu DEOS quosdam honorat, & tantùm non adorat: pauperes verò, rudes ac miseros, ceu viles animas, negligit, aversatur ac repudiat. *Duodecimò*, si quæ illi potestas obtingat, aut dignitas offeratur, hac velut optata felicitatis suæ messe abutitur, & sibi quasi pro jure suo quidvis arrogare præsumit, quod vanitati, sanitati ac voluptati conducere videt. *Decimò tertiò*, honoris ac reputationis suæ magnam semper & ubique curam gerit, cavétque summopere, ne vel seipsum plùs æquo humiliet, aut ab aliis plùs justo humilietur. *Decimò quartò*, sensis ac definitionibus suis tenaciter adhæret, & grandes super arenam sapientiæ suæ moles ædificat. *Decimò quintò*, ex turgido quodam, & cæco animi fastu suam ipse ignorat ignorantiam, & pro prudentia habet suam insipien-

pientiam &c. Talis, Amice Lector, est vita hominis profano-sacri, & sacro-profani, hoc est *semi-boni*, & *semi-mali*: vita tepida, vita misera & miserabilis, plena erroris & plena discriminis. (*l*) Ejus initia videntur esse bona, speciosa, atque honesta; sed novissima illius sunt valde mala, luctuosa ac funesta.

IX. Imperfectio progressum in studio virtutis impedit. Quemadmodum enim parvus pisciculus *Remora* dictus, cursum magnarum sistit navium, sic modicus sæpe defectus homini insitus, ingentes frangit conatus virtutum. Hinc S. Ignatius Loyola solitus est dicere, (*m*) *perpaucos ac fortasse vix ullum esse, qui perfectè intelligat, quantùm* DEO *volenti in eo operari ipse impedimenta sit, quantúmque in nobis efficeret, nisi à nobis ipsis impediretur.* Solet quandóque

(*l*) Prov. 14. 12. (*m*) Ribadeneira in vita l. 5. cap. 10.

que tenera puerorum ætas magnis nitere virtutibus, ac veluti futuræ præludere ſanctitati: unde quidam curiosè eos obſervantes dicunt intra ſe, (n) *Quis, putas, puer iſte erit?* ſi tanta nunc probitas eſt in puero, quanta olim ſanctitas erit in viro? Hi Angeli terreſtres in ſua adoleſcentia exſtruunt aras, colunt imagines, fundunt preces, adeunt templa, audiunt miſſas, frequentant conciones, cohibent ſenſus, caſtigant corpus, domant affectus, fugiunt peccata, laboribus gaudent, adeunt ſcholas, pia legunt, penſa ſolvunt, utilia ſcribunt, ſe crebrò diſcutiunt, ſæpe confitentur, frequenter communicant, cautè loquuntur, prudenter ſilent, modeſtè incèdunt, parentes amant, magiſtris parent, omnes honorant. Quis igitur præclaros in autumno ſeu tempore maturiore non ſperet fructus, ſi tales in vere,

(n) Luc. 1. 66.

re, ſeu primâ ætate videat flores? & ſanè ſpes quoque non eſſet inanis, ſi ſemper foret idem progreſſus ac finis; ut adeò multos haberemus Aloyſios, multos Edmundos, ac multos Stanislaos, ſi, cum incremento ætatis, fierent pariter augmenta virtutis.

X. Sed miſera, prô dolor, experientia teſtatur, non raro bonos pueros, & optimos adoleſcentes in malos degenerare juvenes, in peſſimos evadere viros, quibus illa lamentabilis jure merito occinatur nænia: (o) *Quomodo obſcuratum eſt aurum? mutatus color optimus? (p) Filii Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli? (q) candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, ſaphyro pulchriores denigrati ſunt ſuper carbones, & non ſunt cogniti in plateis* cæleſtis Jeruſalem; *qui*

(o) Thren. 4. 2. (p) Verſ. 2. (q) Verſ. 5.

qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis, qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. O insensati juvenes, ô stolidi adolescentes! *(r) Currebatis bene, quis vos impedivit?* quis moram injecit? quis mentem invertit? quis ratem inhibuit? Parvus pisciculus, modicus defectus, levis trangressio, exigua *imperfectio.* Tunc enim cessâstis rectè currere, quando incepistis imperfectè vivere: nam primus ingressus vestrorum scelerum, fuit neglectus bonorum operum; eorum scilicet, quæ per ultroneam pietatem olim suscepistis, per laudabilem consuetudinem diu peregistis, & denique per damnabilem socordiam, ex parte vel omnino neglexistis. Hæc clades, hæc pernicies, hæc una malorum vestrorum causa est, ô Adolescentes. Fateor equidem, te non peccare, si preces voluntarias omittas, si castigationes ordi-

(r) Gal. 5. 7.

narias negligas, si regulas scholarum violes, si statuta congregationis non observes, si rariùs sacramenta usurpes; interim tamen, dum ista temerè omittis, imperfectionem committis; per imperfectionem autem, quæ non est peccatum, paulatim cadis in vitia, quæ sunt peccatum; & denique per vitiosam hanc negligentiam, nisi DEUS impediat, tuam amittis innocentiam.



CA-

CAPUT II.

De quinque aliis damnis Imperfectionis.

I.

IMperfectio fontem divinæ largitatis obstruit. Quemadmodum enim gemma nobilis, aut liquor magni pretii non solet imponi vasi sordido aut confracto, sic favor cælestis, & gratia peculiaris DEI non solet infundi homini tepido, atque imperfecto. Testatur id S. Bernardus his verbis. (s) *Peremptoria res est ingratitudo, hostis gratiæ, inimica salutis: vias enim obstruit gratiæ, & ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet.* DEUS ex insita sibi benignitate adeò liberalis est, & propensus ad bene faciendum suis creaturis, ut

O 2 nihil

(s) S. Bern, serm. 2. in Evang. de 7. panibus.

nihil ei magis in votis ſit, quàm illas ampliſſimis ornare donis. A condito orbe nemo unquam fuit, qui tam ardenter aliquid à DEO ſibi dari petiit, quin id ipſum DEUS illi longè ardentiùs dare voluerit, modò id, quod dandum erat, fuerit utile petenti, aut is, qui dari petiit, non obſtiterit dare volenti. Ex quo rectè colligitur, in noſtro ſitum eſſe arbitrio, donis DEI vel abundare, vel carere; cùm enim ex parte DEI nullum adſit obſtaculum, imò magna proclivitas dandi, ſequitur id, quod dandum eſt, in noſtra poſitum eſſe manu, modò adſit voluntas accipiendi. (t) *Dilata os tuum, & implebo illud*, ait DEUS omnipotens. (u) *Omnes ſitientes venite ad aquas, & qui non habetis argentum, properate, venite, emite absque argento, & absque ulla commutatione: quid adhuc tardatis? appropiate ad me, & congre-*

(t) Pſal. 80. 11. (u) Iſai. 50. 1.

congregate vos in domum disciplinæ: venite ad me, & comedite bonum, & delectabitur anima vestra, audite audientes me, & vivet anima vestra. Cùm igitur DEUS adeò se benignum ostendat homini, nunquid homo contra eum jure potest conqueri, si pauca accipiat beneficia, si nulla possideat dona; plura haud dubiè, & longè majora esset is accepturus, si melior esset illius dispositio, & capacior animus. Tibi igitur imputa, ô homo, si parum hactenus accepisti à DEO. Ne dubita, largiorem esses expertus DEUM, si & tu liberalior fuisses in eum.

II. Mirari subinde soles tuam indigentiam, si videas vel audias aliorum opulentiam, (x) & tacitâ quadam invidiâ commotus cogitas ac dicis intra te. Cur, me relicto, sic

(x) Alvarez. t. 2. de exte mali lib. 1. p. 1. cap. 11. §. aliud damnum, & cap. 12. §. Et cui.

ſic alios beat DEUS? cur hunc vel illum tot ornat favoribus? illi clarent miraculis, abundant virtutibus, inundant ſolatiis, coluntur in terris, honorantur in cælis: (*y*) at *ego vir videns paupertatem meam* ingemiſco ſub onere, repleor amaritudine, inebrior felle, fatigor labore crucior dolore, languore diſſolvor. (*z*) *O cuſtos hominum! quid feci tibi?* in quo deliqui, quòd aliis tam largus, tam parcus ſis mihi? Reſpondebo tibi, ô homo, & loquar pro Domino DEO tuo, (*a*) ut ipſe juſtificetur in ſermonibus ſuis, tu verò confundaris in operibus tuis. Ceſſa, obſecro, æmulari, & noli indignari contra eum, qui plenus eſt æquitate & juſtitiâ, plenus bonitate, & miſericordiâ. (*b*) *Tolle, quòd tuum eſt, & vade*; relinque alteri, quòd ſuum eſt, ac vide, quòd æquam ille ſervet ubique

(*y*) Thren. 3. 1. (*z*) Job. 7. 20. (*a*) Pſ. 50. 6. (*b*) Matth. 20. 14.

que justitiam, qui nulli facit, aut facere potest injuriam. Quis es tu, qui te comparas melioribus te? & qui sunt illi, quos tuo metiris pede? Tu vitiis abundas, ac multis scates imperfectionibus: lubricus es in cogitatione, futilis in sermone, languidus in operatione: blandiris carni, famularis mundo, obsequeris diabolo: fugis laborem, metuis dolorem, horres inopiam: quæris gaudia, sectaris commoda, venaris lucra; indulges affectibus, mille respectibus es plenus; refugis humiliari, & appetis honorari; sensualiter amas, & singulariter amari desideras: iram foves in corde, rancorem geris in ore, vindictam exerces in opere. Et hæc tua, ni fallor, est sanctitas, hæc virtus, hæc tua perfectio, nunquid & tales sunt illi, quorum præmia miraris & opera non imitaris? Nescis profectò, quanta distantia,

quantumque ſit chaos inter te & ſanctos illos. Illi unicè DEUM amant, & proximum pro viribus adjuvant: converſatio eorum eſt in cælis, & ſicut Angeli DEI vivunt in terris: (c) *prudentes* ſunt, *ùt ſerpentes, & ſimplices, ùt columbæ*: erga omnes patientes ac benevoli, humiles ac manſueti; Chriſto adhærent per intimam unionem, eúmque imitantur per aſſiduam mortificationem; (d) *carnem crucifigunt cum omnibus concupiſcentiis ſuis*: renuntiant mundo, obſiſtunt diabolo cum pompis ac vanitatibus ejus: optant contemni, patíque penuriam cupiunt; doloribus affligi, premíque injuriis, plùs gaudent obſequio DEI, ejúsque bene placito, quàm ſuo ſeu corporis, ſeu animi ſolatio: manibus innocui, & mundi corde, puritatem conſcientiæ adeò ſolicitè cuſtodiunt, ut nullum unquam veniale pecca-

(c) Matth. 10. 15. (d) Gal. 5. 24.

peccatum, imò nec imperfectionem datâ operâ, atque animo plenè deliberato committant. I nunc, ô homo superbe, deprime cristas, ac pone supercilium: honora sanctos, & Sanctum Sanctorum adora: assume parabolam, & agens pœnitentiam dic cum S. Job: (e) *Leviter locutus sum, & respondere quid possum? manum meam ponam super os meum. Unum locutus sum (quod utinam non dixissem) & alterum, quibus ultrà non addam.*

III. Imperfectio reddit vocationem DEI difficilem, ac sæpè inefficacem. Quemadmodum enim humor malignus illabens auribus aut oculis, visum impedit, atque auditum, sic imperfectio mentem occupans hominis, eum surdum facit, atque cæcum: *surdum* quidem, ne audiat vocantem DEUM; *cæcum* autem, ne videat ducentem Angelum. Hæc dicit Dominus:

(e) Job. 39. 34.

Audite surdi, (*f*) *& cæci intuemini ad videndum: quis est cæcus, nisi servus meus? & surdus, nisi is, ad quem misi nuncios meos?* (*g*) Cæcus & surdus ille olim fuit adolescens, quem Christus vocavit ad sui sequelam, dicens. *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & sequere me.* Sed quare *cæcus*, & quare *surdus?* an propter grave flagitium, aut enorme facinus? (*h*) hauquaquam: à puero enim timuit DEUM, ejúsque mandata solicitè custodivit; (*i*) unde etiam meruít à Christo singulariter amari, & blandiùs ad se vocari. Quare ergo *cæcus*, & quare surdus? una imperfectio, ac levis defectus clausit oculos, atque aures ejus. (*k*) *Cùm audisset adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones.* Multarum pro-

(*f*) Isai. 42. 28. (*g*) Matth. 19. 21. (*h*) Matth. 19. 20. (*i*) Luc. 10. 22. (*k*) Matth. 19. 21.

profectò opum possessio, ac pingue patrimonium, nullius legis erat transgressio, & consequenter nullum peccatum. Et tamen erravit hic adolescens, minúsque rectè egit, dum rei, quàm juste habuit, plùs justo adhæsit, ex quo maluit ad breve tempus suis uti, ac frui divitiis, quàm illas pauperibus elargiri, & Christi fieri discipulus. Hæc Juvenis minùs ordinata affectio, non nisi levis fuit imperfectio: nihilominus ob parvam hanc imperfectionem longè maximam amisit felicitatem: (l) Nam *tristis abiit*, & Christum reliquit; valedixit DEO, ut serviret mundo; deseruit vitam, ut quæreret mortem; neglexit suam vocationem, & fortè perrexit in certam perditionem: novit enim DEUS, & is, quem reliquit, Christus, quis hujus adolescentis denique fuerit exitus: certè facilis est aditus per

(l) Matth. 19. 22.

agni, (r) & invitaris ad cænam regalem, cura igitur, ut habeas stolam mundam & tecum afferas vestem nuptialem: vestis autem nuptialis & stola gloriæ, est puritas conscientiæ, & sanctitas vitæ: hanc obtinebis, si facias bona; illam habebis, si fugias mala: ut ergo magnum obtineas bonum, hoc est, (s) DEUM, *quiesce malè agere*; & ut magnum evites malum, hoc est Mundum, *disce benefacere*: (t) nam Mundus in maligno positus est, & nemo, qui Mundum diligit inordinatè cor servat mundum ab iniquitate: (u) *per bona opera fac certam vocationem tuam*, & cave, ne propter imperfectiones & peccata tua tibi DEUS subtrahat gratiam suam. (x) *Assimilare capreæ, hinnulóque cervorum*, & fuge in collem thuris, in mon-

(r) Matth. 22. 12. (s) Isai. 1. 16. (t) 1. Joan. 5. 19. (u) 1. Petri. 1. 10. (x) Cant. 8. 14.

tem aromatum: egredere de Sodoma, de Ur-Chaldeorum, ut libereris à flamma, & venias in terram Sanctorum. (y) Si nutui parebis divino, *centuplum accipies in hoc sæculo, & vitam æternam in futuro.* Si verò duræ cervicis es, & dixeris DEO tuo: (z) *Recede à me, scientiam viarum tuarum nolo*, malè olim habebis in novissimo: quando nimirum vocem audies crudelem, verbum asperum, sententiam irrevocabilem. (a) *Vocavi, & renuisti, extendi manum meam, & non respexisti; ego quoque in interitu tuo ridebo, & subsannabo, cùm tibi, quòd timebas, evenerit.* Jure merito sanè feritur hoc jaculo maledictionis, qui propter suam imperfectionem neglexit statum perfectionis: sicut enim ingens est DEI benignitas, hominem ad se vocantis, sic grandis est hominis temeri-

(y) Matth. 19. 29. (z) Job. 21. 14. (a) Prov. 1. 24.

meritas DEUM à ſe repellentis.

V. Imperfectio hominem in depreſſo gradu gratiæ & gloriæ ponit. Quemadmodum enim ſæcularis mercator, qui parva lucra negligit, ad magnam opulentiam non aſſurgit, ita ſpiritualis negotiator, qui negligens eſt in ſtudio virtutum, nunquam fit dives donorum ſpiritualium: id quod Salomon ſapientiſſimus teſtatur his verbis. (*b*) *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa; manus autem fortium divitias parat.* (*c*) *Cogitationes robuſti ſemper in abundantia; omnis autem piger in egeſtate eſt.* Per actus virtutum acquiritur theſaurus meritorum, ex cumulo autem meritorum, fit Gratiæ, & Gloriæ incrementum; unde pari tenore hæc tria ſemper æqualiter procedunt, *actus* nimirum *animæ*, *habitus gratiæ*, & *lumen gloriæ*: qualem enim anima producit virtutis actum,

(*b*) Prov. 10. 4. (*c*) Prov. 21. 5.

actum, talem promeretur divinæ gratiæ fructum; fructus verò gratiæ præsentis mensura est futuræ beatitudinis. Ex quo sequitur, magnitudinem, aut parvitatem gratiæ & gloriæ, pendere ex remissa vel intensa hominis operatione: si multùm remissa fuerit operatio, parva illi respondebit remuneratio; si verò actus virtutum sint valde intensi, plurimum inde reportabitur lucri, usque adeò, ut sæpe per unum ejusmodi actum virtutis, valde sublimis acquiratur gradus sanctitatis, quòd S. Ignatius Loyola in quadam epistola luculenter affirmat in hunc modum. (*d*) *Certum est, pigros, quòd seipsos non vincant, nec ad animi pacem, nec ad perfectam unquam ullius virtutis possessionem venire: cùm tamen diligentes utrumq; paucis diebus facilè consequantur. Eodem accedit, usu ipso, & experientiâ patere,*

(*d*) S. Ignat. in epist. de perf. relig. num. 4.

re, non ignavos & tepidos, sed ardentes & gnavos in obsequio divino animi pace, & tranquillitate potiri; & meritò qidem; dum enim in victoria sui ipsorum laborant, ut amoris proprii se à vinculis laxent, usque ab imis fibris mæstitiam, mœrorem, aliósque turbulentos motus animi evellunt, & sensim sine sensu virtutum habitudines suis animis indunt, à quibus parati, quasi naturâ duce, deinceps operantur, & ad sanctam à DEO percipiendam lætitiam, (e) consolationémque parantur, quia vincenti dabitur manna absconditum: at verò contra negligentia & tepiditas semper mæstos pariunt ignavo labores, quòd illorum causam, amorem nempe proprium, non procul amandet, nec bonis operibus DEI gratiam mereatur.

VI. Profectò si sancti in cælo tristari possent ac dolere, nullâ re aliâ magis affligerenrur, quàm jacturâ irrecuperabilis gloriæ, quam olim facillimè mereri potuissent, si paulò

(e) Apoc. 2. 17.

paulò majorem conatum adhibere voluissent. (*f*) *In regno* cælesti *mansiones multæ sunt*, quæ, si conferantur cum mansionibus terrenis, magnæ utique sunt dignitatis, magnæque celsitudinis; si verò comparentur inter seipsas, ingens earum mansionum est inæqualitas: nam sicuti merita justorum, ita & præmia eorum sunt admodum diversa: (*g*) Unde illi supremo inseruntur choro Angelorum, qui magnam habuerunt eminentiam virtutum; illi verò in medio quodam statu beatitudinis remanent, qui non nisi mediocres in sanctitate progressus fecerunt; illi denique postrema occupant subsellia, & hærent quasi in fundo, qui negligenter atque imperfectè servierunt Domino Deo. (*h*) *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco cecide-*

(*f*) Joan. 14. 1. (*g*) Origines citatus à Drexelio in horolog. 1. hor. noct. §. tres quæstiunculæ. (*h*) Eccl. 11. 3.

ceciderit , ibi erit , ſic homo , cùm fuerit mortuus , in eadem ſtatione continuò eſt permanſurus , dum aut perenni fruetur gloriâ in cælo , aut æterna ſuſtinebit ſupplicia in inferno ; imò in ipſa gloria cæleſti, aut pœna infernali , ſuam quivis habebit ſtabilem ſedem ſeu manſionem ; nam ſicut : nemo ex damnatis ex infernali carcere evehitur ad cælum , ſic nemo ex beatis ex uno gradu gloriæ progreditur ad alium , ſed eam quivis ſervat & ſervabit menſuram gloriæ in cælo quam primo ſtatim acquiſivit beatitudinis ſuæ momento. Unde qui ſemel ad imum depreſſus eſt locum , nunquam erit in medio , nec unquam aſcendet ad ſummum. (*i*) *Utinam ſaperes & intelligeres , ac noviſſima provideres !* Ecce in tuo nunc ſitum eſt arbitrio , in tua poſitum voluntate , vel altiùs elevari , vel deprimi profundiùs in cæleſti manſione

(*i*) Deut. 32. 29.

quærit *ministros & dispensatores mysteriorum* suorum, quales utique non sunt frigidi amatores DEI, & languidi cultores JESU Christi. Unde quidam ait: (*m*) *Iis, qui in hominum animis ad bonam frugem revocandis versantur, languor & vitia maximo sunt detrimento; idque non idcirco tantùm, quia factis improbant, quòd verbis docent, verùm etiam, quoniam, ut nihil obsit exemplum, minùs quidem idoneos se administros præbent; minúsque efficaces &c.* (*n*) Honor regis judicium diligit, uti regius Psaltes ait; atqui nemo judicium facit, nisi qui DEO corde perfecto servit: nam facere judicium idem est, quod dare cuique suum; hoc autem solùm fit, quando quis *piè, justè, ac sobriè* vivit, piè quidem erga DEUM, justè erga proximum, sobriè circa seipsum; in qua tripli-

(*m*) Claudius Aquaviva Epist. de renov. spirit. num. 9. (*n*) Psalm. 95. 7. (*o*) Tit. 2. 12.

triplici operatione hominis ſita eſt omnis conſummatio perfectionis; unde quisquis hæc tria vel ex toto vel ex parte negligit, perfectum, rectúmque judicium non facit, atque adeò, nec DEUM, uti debet, honorat, nec proximum, uti par eſt, ædificat, nec ſeipſum, uti poſſet, adjuvat.

VIII. Multi profectò ſunt, (p) qui dum gloriam DEI quærunt, in ipſam DEI offenſam incurrunt, dúmque juvare volunt proximum & ſibi & illi pariunt nocumentum: cujus rei haud alia videtur eſſe cauſa, quàm quòd ad finem bonum mala adhibeant media: dum cæco mentis errore ſeducti, ſequuntur mendacium pro veritate, & proprio impulſi amore, ſectantur umbram pro corpore. Hi gloriam DEI, & ſalutem proximi magis ponunt

(p) Gaudier. p. 5. de perf. cauſ. & nat. ſ. 7. cap. 4. §. debet eſſe puriſſima.

ponunt in ſtudio quodam vanitatis, quàm in exercitio ſolidæ virtutis; plùs tribuunt arti, & ſcientiæ, quàm ſanctitati, & puræ conſcientiæ: plùs ſuis fidunt conatibus, ſuæque induſtriæ, quàm bonis aliorum conſiliis, ac DEI gratiæ: magis gaudent invenire res novas, raras & pulchras, quàm leges ſervare antiquas, bonásque conſuetudines; plus operæ crebris impendunt viſitationibus & multæ confabulationi, quàm ſanctis cogitationibus ac longæ orationi. Perſonarum haud æqui ſunt acceptores; eos enim ſuaviùs ac magis ſollicitè in virtutibus inſtruunt, erga quos dulcem in animo affectum & pronam voluntatis inclinationem ſentiunt: è contrario autem defectus eorum perſtringunt acerrimè, erga quos multum amaritudinis & nihil dulcedinis habent in pectore, Animarum lucra in ſua convertunt com-

commoda, & proximi ſalutem derivant in corporis, vel animi voluptatem. Si quando res agitur de proprio honore vel ſolatio, nulli parcunt labori, nulli ſuccumbunt faſtidio. Et verò tunc ampla ſpolia, laudémque egregiam tuliſſe ſe credunt, quando populi ſibi faventis applauſum percipiunt: Atque hi ſunt magni illi, ſi ſuperis placet, *glorificatores* DEI, & *zelatores* animarum, quibus illud Prophetæ oraculum haudi incongruè accomodari poteſt: (*q*) *Seminant multum, & inferunt parum, comedunt, & non ſatiantur; bibunt, & non inebriantur; operantur & non caleſiunt; mercedes congregant, & in ſacculum mittunt pertuſum.*

IX. Imperfectio gravioris lapsûs eſt occaſio. Quemadmodum enim ex ſcintilla fit flamma, ex flamma augetur ignis, ex aucto igne erumpit incendium, ſic ſæpe ex imperfectio-

(*q*) Agg. 1. 6.

fectione exoritur peccatum veniale, (r) ex veniali mortale, ex mortali relapsus, ex relapsu consuetudo, ex consuetudine desperatio, ex desperatione, finalis impœnitentia, & denique ex finali impœnitentia, damnatio æterna. Hæc series est malorum, catena scelerum, hæc trita reproborum via, quam omnes, quotquot unquam perierunt, aut peribunt, iverunt olim, & posthac ibunt. Hoc sacræ loquuntur literæ, hoc sancti Patres unanimiter testantur. (s) *In pigritiis humiliabitur contignatio*, ait Sapiens, *& in infirmitate manuum perstillabit domus.* (t) *Qui spernit modica, paulatim decidet. A minimis incipiunt, qui ad maxima proruunt*, inquit D. Bernardus, *verissima enim sententia est.* (u) *Nemo repente*

P

(r) S. Gregor. Nazianz. sent. spir. l. 1.
(s) Eccle. 10. 18. (t) Eccli. 19. 1.
(u) S. Bernard. de ordin. vit. & mort. instit.

pente fit malus. Sanctus item Augustinus: (x) *Noli*, ait, *leviora contemnere, quia minora sunt, sed time, quia plura sunt: ex minutis guttis multiplicatis inundationes fiunt aquarum, quæ etiam magna quandoque mœnia subvertunt: per modicam rimam aqua latenter influit in navem, donec submergatur, sic parva errata, si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & oppriment, sicut unum grande peccatum.*

X. Considera, Amice Lector, (y) *vecordem Juvenem* immersum vitiis, peccatis assuetum, addictum voluptatibus, amoribus irretitum, rebellem majoribus, minoribus asperum, audacem verbis, ferocem factis, moribus agrestem, exosum superis, damnosum aliis, perniciosum sibi. (z) Considera, inquam, *vecordem* hunc *Juvenem*, & vide,

(x) S. Augustin. lib. de decem chord. cap. 11. (y) Prov. 7. 7. (z) Proverb. 7. 7.

vide, quâ viâ, quibusve modis prolapsus sit in tam altam scelerum voraginem. Vix duo trésve sunt anni (si bene memini) cùm hic ipse adolescens puer erat delicatus, parvulus & innocens, atque unicè dilectus matri suæ, modestus in gressu, verecundus in vultu, gratiosus in gestu, mundus in vestitu, moderatus in victu, circumspectus in visu; tenellas ad cœlum tendebat manus, oréque innocuo fundebat preces; majoribus attulit solatium, æqualibus obsequium, inferioribus auxilium, bonum omnibus exemplum. O DEUM immortalem! quàm mores nunc habet alios, quàm vitam inæqualem? quonam is philtro, quo Circes poculo est adeò dementatus, ut fieret ex homine bestia, ex turture milvus, ex agno lupus, ex Angelo Diabolus? Cantabo canticum Jeremiæ Prophetæ dicámque suspi-

 rans

rans lamentabili voce. (*a*) *Peccatum peccavit Jerusalem, propterea instabilis facta est: omnes, qui glorificabant eam, spreverunt illam, quia viderunt ignominiam ejus.* Per illam *Jerusalem* intelligo hunc Juvenem, qui ideò *peccatum peccavit*, quia vitam vivere meliorem cessavit: destitit orare, & incepit peccare, deseruit pietatem, & reperit iniquitatem per levia errata sine peccato, prolapsus est in gravia delicta sine numero, suam utique semper retenturus innocentiam, si bene cœptam, absque interruptione, continuâsset pietatem.



CA-

(*a*) Thren. 1. 8.

CAPUT III.

Dolor seu contritio de imperfectione, ex piis Ascetis.

I.

O Dulcissime Domine JESU! (*b*) quid possum agere pro peccatis & imperfectionibus meis, nisi humiliter ea confiteri, & lamentari, & tuam propitiationem incessanter deprecari? Ingemisco ergo, & doleo, quòd adhuc ita carnalis sim, & mundanus, tam immortificatus in passionibus, tam plenus concupiscentiarum motibus; tam incustoditus in sensibus exterioribus, tam sæpe multis vanis phantasiis implicatus: tam multùm inclinatus ad exteriora, tam negli-

(*b*) Ex Thoma de Kempis. lib. 1. de imitat. Christ. cap. 7. num. 2.

negligens ad interiora : tam levis ad risum, & dissolutionem, tam durus ad fletum, & compunctionem : tam promptus ad laxiora, & carnis commoda, tam segnis ad rigorem, & fervorem.

II. Ingemisco ac doleo, (c) quòd tam incompositus sim in moribus, tam importunus in actibus; tam curiosus ad nova audienda, & pulchra intuenda ; tam remissus ad humilia & abjecta amplectenda : tam cupidus ad multa habenda, tam parcus ad dandum, tam tenax ad retinendum : tam inconsideratus in loquendo, tam incontinens ad tacendum : tam effusus super cibum, tam surdus ad DEI verbum : tam velox ad quietem, tam tardus ad laborem : tam vigilans ad fabulas tam somnolentus ad vigilias sacras : tam festinans ad finem, tam vanus ad attendendum : tam tepidus in orando, tam aridus

(b) Ex eodem loc. cit.

aridus in communicando : tam citò diſtractus, tam rarò plenè tibi collectus : tam ſubitò commotus ad iram, tam facilis ad alterius diſplicentiam : tam pronus ad judicandum, tam rigidus ad arguendum : tam lætus ad proſpera, tam debilis in adverſis : tam ſæpe multa proponens, & modicum ad effectum perducens.

III. Ecce Domine mi, ego indignus peccator, *(d)* fateor cum dolore, heu, ex humana fragilitate me contra tuam divinam omnipotentiam multipliciter deliquiſſe, ac contra tuam divinam ſapientiam per ignorantiam diverſimodè peccâſſe, nec non tuam inæſtimabilem benignitatem me multis modis malitiosè irritâſſe. Ergo Pater miſericordiarum miſerere mei, & da mihi de tua omnipotentia vires reſiſten-

(*d*) Ex inſinuationibus divinæ pietat. lib. 3. cap. 39. & lib. 2. cap. 23. & lib. 4. cap. 53.

ſiſtendi omnibus, quæ tibi ſunt contraria: & de tua inſcrutabili ſapientia, da mihi cautè prævenire omnia, quæ oculos tuæ puritatis in me offendere poſſent: atque ex ſuperabundantia pietatis tuæ concede mihi tam ſtabili fidelitate tibi adhærere, ut nunquam vel in minimo à te diſcedam.

IV. O Pater amantiſſime, (e) pro emendatione omnium erratorum meorum, offero tibi omnem paſſionem tui dilectiſſimi filii, quam ab illa hora, quâ in præſepio ſuper fœnum reclinatus, vagitum dedit, & deinceps pertulit, per infantiæ neceſſitates, pueritiæ defectus, adoleſcentiæ adverſitates, & juventutis miſerias, usque poſt horam illam, quâ inclinato capite in cruce, cum clamore valido, ſpiritum emiſit. In ſuppletionem omnium negligentiarum mearum, tibi

(e) Ex eodem loc. cit.

tibi offero, Pater amantissime, omnem conversationem filii tui sanctissimam; quæ in omnibus cogitationibus, verbis, & factis perfectissima fuit, ab hora, quâ missus ab arce throni introivit per alvum Virginis in regionem nostram tuus Unigenitus, usque post illam horam, quâ tuis paternis vultibus præsentavit victricis carnis gloriam. O JESU dulcissime, per amorem, quo pro nobis ex purissima Virgine incarnari, & nasci dignatus es, ut pauperum tuorum defectus suppleres, obsecro te, ut per dulcissimum cor tuum supplere digneris omnes defectus meos, quos per negligentiam & ingratitudinem multipliciter admisi in servitio, & honore tuo.

V. O DEUS scrutans renes & corda nostra! (f) Si meipsum

 con-

(f) Ex Joan. Landsper. in oration. selectis.

considero, ac sine simulatione dijudico, nihil purum, nihil sanctum, nihil ex omni parte integrum in me invenio: etiam bona, quæ facio, non eâ fiunt puritate intentionis; nec eo devotionis fervore, quo fieri deberent; unde *omnes justitiæ meæ* similes sunt *panno menstruatæ.* (*g*) Confiteor ac detestor omnem hypocrisim ac superbiam meam, quòd foris melior velim putari, quàm intùs inveniar, quòd nimis erubescam de naturalibus meis defectibus, & vitia mea abscondam, non timore, quòd aliis noceam, sed metu displicendi, & ne vilipendar; quòd per bona, quæ ostendo, velim videri & placere hominibus, ut ex his, quæ fiunt in aperto, suspicentur, me multò plura, & majora habere in occulto. Confiteor ac detestor meam socordiam, quòd cum tentationibus vitiorum, maximè carnalium

(*g*) Isai. 64. 6.

nalium ita pugnem desidiosè, ut solo timore periculi, vel pudore confusionis eas repellam, solo consensu operis, & morosæ delectationis excluso. Quòd ita piger & iners sim ad ea, quæ DEI sunt, & ad virtutes, vel quæ ad devotionis studium pertinent, ut pudor humanus plura ex me vel à me extorqueat, quàm amor divinus. Quòd item sim ingratus DEI beneficiis, ut non solùm debitas non agam gratias de perceptis, sed etiam dona ultrò oblata in vacuum recipiam, occupans me studiis vanis, quæ nihil ad salutem conferunt. Quod illa, ad quæ teneor, tam negligenter persolvam, ut non tam meritum, quàm supplicium inde exspectem.

VI. O misericordissime Domine DEUS meus! mihi, quæso ignosce. Clementissime Domine JESU Christe, miserere mei, propter ni-

(b) Ex eodem loc. cit.

nimiam charitatem tuam, quâ me diligis, & per amorem illum obsecro, quo propter me pependisti in cruce, ignosce omnibus negligentiis, & peccatis meis, parce omnibus erroribus, vitiis, concupiscentiis, omníque prorsus ingratitudini meæ: ac totius mundi. Ignosce, quòd hactenus tot annis tibi contumeliosus, ingratúsque vixi, & quotidiè tuam majestatem sæpius offendi. Heu, amabilissime, & suavissime JESU, quid habeo miser ego, quod tibi offeram, ô DEUS meus, sive pro peccatis meis, sive pro beneficiis tuis? Nihil profecto (universorum enim sum debitor) aliud, quàm temetipsum, ô sufficientia, ô virtus, ô divitiæ meæ! omnem ergo passionem tuam, omnes livores, & dolores, omnia vulnera, omnésque rosei sanguinis tui guttas, omnes lachrimas oculorum tuorum, omnes

omnes denique triſtitias, ac gemitus cordis tui, atque adeo omnem amorem tuum ad nos offero tibi pro me, & univerſo mundo, in expiationem omnium delictorum noſtrorum, & in ſuppletionem omnium negligentiarum noſtrarum. Da mihi, ô dulcis JESU, veram atque ingentem contritionem pro peccatis meis, cognitionem propriæ vilitatis, & nihileitatis cum profundiſſima humilitate: da mihi emendationem vitæ meæ, & imitationem vitæ tuæ, ſecundum altiſſimum & perfectiſſimum beneplacitum tuum.

VII. O Pater miſerationum, (*h*) Pater inexhauſtæ miſericordiæ, & DEUS totius conſolationis! quàm tepidè & oſcitanter tot annos in tuo ſervitio ſine ullo fructu conſumpſi?

(*h*) Ex Ludovico Bloſio. in meditat. collectis ab Hemertio. Fer. 2.

sumpsi? quàm modicam commissorum egi pœnitentiam? quàm rarò tibi pro acceptis beneficiis debitas gratias persolvi? quantùm adhuc horreo contemni, & irrideri ab hominibus? quantùm studeo honorari & in pretio haberi ab aliis? quàm stultè quandoque mihi placeo? quàm longè adhuc absum à vera illa humilitate Christi? quàm sum morosus, ac difficilis, quàm invidus, & superbus? quàm citò lætis proximi successibus offendor: & contrà quàm facilè infortuniis ejus lætor? nec bonis ejus congaudeo, nec malis illius condoleo? quàm citò in proximum ob rem non admodum seriam excandesco? quàm sinistris sæpe suspicionibus agitor! Has omnes meas iniquitates & imperfectiones, ô Clementissime JESU, ex corde detestor, & doleo, quòd nimis parum doleam: utinam

tinam vulneres cor meum dolore perfectissimæ contritionis!

VIII. O Pater Domini nostri JESU Christi, (i) per mortem ejus, miserere mei, quia nihil tibi impossibile est, quàm miseris nolle misereri, quid aliud ego infelix & miser possum, quàm errare, & peccare? & quid Tu, ô optima, & infinita Bonitas aliud potes, quàm misereri & parcere? Fac ergo secundùm bonitatem tuam, quia ego infelix non cesso agere secundùm malitiam meam. Comprime, quæso, superbiam cordis mei, & fastu turgentia pectora deprime, qui nihil aliud sum, quàm fœtentium stercorum saccus vilissimus: fac me cognoscere vilitatem meam, & majestatem tuam, ut inde crescat in me profundissima humilitas, hinc nascatur ardentissima charitas. Heu! Domi-

(i) Ex eodem loc. cit.

Domine DEUS meus, quanta ſunt vulnera, quanta infirmitas, quanta vilitas mea, pro quibus ſanandis tuus Filius crucifixus eſt, & & occiſus.

IX. Quis dabit capiti meo aquam, (*k*) & oculis meis fontem lachrimarum, ut defleam noctes atque dies errata mea, meámque ingratitudinem, in DEUM creatorem meum. O Unigenite Fili DEI! magna & ineffabilia ſunt beneficia tua, quæ à te accepi, & magna eſt ingratitudo mea, quam pro beneficiis acceptis tibi rependi. Tu me ſuſcepiſti pro filio, & ego factus ſum ſervus peccati; Tu me regem feciſti, & ego in regno, quod mihi dediſti, ſuperbivi; ſponsâſti animam meam in perpetua charitate, & ego magis amavi vanitatem, quàm veritatem;

(*k*) Ex Ludovico Granatenſi. lib. 2. memor. cap. 11. 12. 13.

tem, plùs creaturas, quàm creatorem. Me exſpectâſti, & ego tuâ patientiâ abuſus ſum; me vocâſti, & ego ad tuas voces obſurdui; tu mihi dediſti tempus pœnitentiæ, & illud in mea ſuperbia conſumpſi; tu percuſſiſti me, & ego non ſenſi; tu afflixiſti me, & ego nolui ſuſcipere correctionem; tu ſudâſti, & laborâſti, ut me mundares, & ego lotus non ſum; tu igne me probâſti, & rubigo vitiorum meorum non eſt exterſa; flagellis tuis, & tuis blanditiis induratus ſum, ingratus his, rebellis illis.

X. O ſupreme factor omnium rerum creatarum, (*l*) cùm mecum cogito, quàm graviter infinitam tuam majeſtatem meâ ingratitudine offenderim horreo, & inſaniam meam deteſtor, conſiderans,


(*l*) Ex eodem loc. cit.

rans, quàm benignum & venerabilem Patrem reliquerim. Execror iniquitatem & imperfectionem meam; cùm video, de quàm nobili libertate in servitutem tam miseram sim prolapsus: maledico inconstantiæ meæ, & nescio, quid mihi ante oculos statuam, nisi justam iram & indignationem tuam; justitia enim tua, quam fugere non possum, meam terret conscientiam. E contrario, cùm intueor immensam tuam misericordiam, quæ, secundùm Prophetæ tui testimonium, superat omnia opera tua, mox aura jucundissima spei me refocillat, animúmque meum nimis debilem corroborat. Converto igitur me totum ad tuam misericordiam, & supplico tibi. Recipe me indignum servum tuum, remissionem à te humiliter postulantem. Da mihi gratiam, ut

ut possim me emendare. Largire mihi spiritum tuum, ut purificet cor meum, & corroboret illud in gratia tua, ne denuo per ignorantiam meam revertar ad illud exilium, unde tua me bonitas revocavit. O Pater misericordiarum, & DEUS totius consolationis, da mihi hanc gratiam, ut moriar omnibus meis affectibus, & moriar etiam mihi ipsi, tibi autem soli vivam: da ut habitem in te, quiescam in te, nec aliam gloriam, nec alium thesaurum habeam, quàm te solum. JESU sanctissime adjuva me: intende in adjutorium meum, & ne repellas me à gratia tua, quem tuæ naturæ fecisti fratrem ac socium. Ad te levo animam meam, DEUS meus, in te spero, ne confundar in æternum. Usquequo avertis faciem tuam à me? quando mortuus ero rebus omni-

omnibus, imò & mihi ipsi, ut liberius properem ad te. Qui vivis & regnas cum DEO Patre & sancto Spiritu, in sæcula, sæculorum,

AMEN.



X. PARS

X.
PARS
DE
AGENDIS ANTE, IN ET POST CONFESSIONEM.

I.

Ante judicium interroga teipſum, & in conſpectu Dei invenies propitiationem. *Eccli. cap. 18. v. 19.*


II.

In labiis ſapientis invenitur ſapientia. *Prov. cap. 10. v. 13.*

III.

Poſt lachrimationem & fletum exultationem infundis. *Tob. c. 3. v. 22.*

CA-



CAPUT. I.

De agendis ante Confessionem.

I.

ANte judicium interroga teipsum, (m) *& in conspectu DEI invenies propitiationem*, hoc est, ante Sacramentum pœnitentiæ tuam rimare conscientiam, ut, per veram confessionem peccatorum, plenam obtineas remissionem eorum. *Interroga* igitur *temetipsum*, in quo offenderis Dominum Deum tuum: cogita causas & motiva eliciendæ contritionis, ut cum dolore te possis accusare de tuis peccatis; inquire porrò, quid velis impo-

(m) Eccli, 18, 19.

imposterum agere, ut seria sequatur emendatio vitæ. (n) Hæc tria, si bene ritéque peregeris, sufficienter te parâsti ad Sacramentum confessionis, nam tota pœnitentis præparatio in hoc triplici exercitio consistit, nimirum *in recordatione criminis, in dolore de peccatis, in proposito emendationis.*

II. Necesse igitur est, (o) ut is, qui bonam vult instituere confessionem, ante omnia suam recolligat mentem, &, positis tantisper occupationibus aliis, se totum huic impendat negotio salutis; (p) nam sicut homo suâ animâ nihil habet pretiosius, ita nihil anteferre debet saluti illius, juxta illud Servatoris nostri effatum. (q) *Qui prodest homini, si universum*

(n) Thesaur. precum. lib. 4. §. ante confessionem. (o) Sotus in method. confes. p. 5. §. Methodus se præparandi. (p) Salutius. in 1. p. port. sal. c. 9. (q) Marc. 8. 36.

versum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimenrum patiatur? Sed quia non tantùm recordatio, & agnitio peccatorum, ſed etiam contritio, & confeſſio illorum donum eſt ſupernaturale DEI, ſtatim in principio hujus operis invoca gratiam Spiritûs ſancti, orando unum, alterúmve *Pater, & Ave*, aut, ſi malis, hâc vel ſimili, utendo oratione.

III. *Domine JESU Chriſte, vera mundi lux, (r) illuminans omnes, qui in tenebris, & umbra mortis ſedent, illumina per ſancti Spiritûs tui gratiam, cor & conſcientiam meam, ut perſectè, quidquid Divinæ Majeſtatis tuæ oculos offendit, recognoſcere, & illud verâ cordis contritione, humili confeſſione, & dignâ ſatisfactione expiare valeam, qui vivis, & regnas cum DEO Patre in unitate ejusdem Spiritûs ſancti DEUS per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.*

Q IV. In-

(r) Horolog. piar. act. prax. ind. 13.

IV. Ingredere porro temetipsum, (s) atque incipe scopare spiritum tuum, indaga maculas conscientiæ tuæ, & vide, quid egeris ab ultima confessione contra DEUM, proximum, & temetipsum cogitatione, verbo, & opere, quoad speciem, & quoad numerum: (t) Ut autem facilior sit recordatio peccatorum, memento temporis, loci, ac personarum, quibuscum versatus es, hìc vel alibi, quando hoc vel illud egisti, dixisti, cogitâsti: sed ut majore cum fructu hoc opus peragas, duo, velim, ut solerter observes. (u) *Primò*, ne nimis anxiam adhibeas curam in peccatis conquirendis; (x) *Secundò*, ne debitam omittas indu-

(s) Gaudier. in 5. part. de perf. natura, & caus. s. 11. cap. 1. §. atque in examine. (t) Alvarez. tom. 2. de fug. pecc. lib. 1. cap. 4. & 13. (u) Possevin. de offic. curat. cap. 2. num. 85. (x) Vasquez. in 3. p. tom. 4. q. 92. art. 2. & 3.

induſtriam in diſcuſſione mentis; utrumque enim prudentiæ adverſatur ac diſplicet DEO; *prius* quidem, quia fervorem contritionis plerúmque minuit ob indiſpoſitionem mentis, *poſterius* autem, quia valorem confeſſionis quandoque impedit ex defectu integritatis.

V. Peccata, quæ tibi occurrunt, (*y*) manda memoriæ tuæ, aut, ſi velis, etiam chartæ inſcribe. Finito autem examine, ſeu diſcuſſione conſcientiæ, paulatim ad eliciendam contritionem te accinge. (*z*) Cogita DEI bonitatem & magnitudinem, ut tuam agnoſcas malitiam atque ingratitudinem; (*a*) recole beneficia, quæ accepiſti; bona, quæ amiſiſti, mala, quæ meruiſti, doléque ex animo, quia DEUM tam magnum, tam

 bo-

(*y*) Amuſſis conſcient. punct. 16. (*z*) Theſaur. precum. lib. 4. cap. 5. §. Examine conſcient. Facto. (*a*) Alvarez. tom. 2. ſ. 1. de fug. pecc. p. 1. c. 6. & 13.

bonum, tam liberalem offendisti. (b) Doleas autem, vel saltem dolere velis ex affectu, & motivo, quàm potes, optimo, conando nimirum semper magis *conteri* ex amore filiali erga DEUM, ut patrem, quàm tantùm *atteri* ex timore servili erga eum, ùt judicem. (c) Quò enim pretiosius est motivum contritionis, eò copiosius est meritum satisfactionis, & quò præstantior est dolor peccatoris, eò abundantior est remissio peccatorum; ut adeò talis plerumque, imò semper existat fructus in Sacramento pœnitentiæ, qualis est actus seu affectus in corde pœnitentis animæ.

V. Si propter duritiam cordis aut aliam animi indispositionem nequeas perfectam contritionem elicere,

(b) Gaudier. p. 5. de perf. nat. & caus. s. 11. cap. 14. (c) Pinellus, lib. I. de pœn. cap. 4.

cere, (*d*) excita, qualem potes in animo tuo compunctionem; (*e*) si enim velis confiteri ac sanari per pœnitentiæ Sacramentum, necessariò debes habere dolorem vel perfectum, vel imperfectum: aliàs nulla aut etiam sacrilega erit tua confessio. (*f*) Dole igitur eo, quo potes, meliore modo, juxta præsentem necessitatem, & virium tuarum qualitatem. Si langueat affectus ad summum amorem DEI, cogatur animus ad magnum horrorem inferni: Si non sufficiat consideratio gratiosæ DEI clementiæ defectum suppleat recordatio rigorosæ ipsius justitiæ: si te non moveant beneficia & miserationes DEI, cogita supplicia & pœnas peccati. Præstat enim imperfecto conteri dolore, rectéque confiteri,

 quàm

(*d*) Sotus. in meth. conf. p. 5. §. methodus se præparandi. (*e*) Henriq. lib. 4. cap. 26. num. 7. (*f*) Thesaurus precum. lib. 4. cap. 5. §. Examine.

quàm vel omittere confessionem, vel confitendo prævaricari.

VII. Si vacat, & lubet, poteris ex septima, (g) octava, & nona parte hujus libri, unum alterúmve legere *motivum dolendi*, ut hujus subsidio lectionis sensim disponaris ad actum contritionis, &, si fortè mens tua ex illa incaluit lectione, mox illi subjunge aliquam ex iis orationibus, quæ tertio quovis capite prædictarum Partium sunt positæ. Si verò tali dispositione non indiges, aut certè si desit tibi tempus, atque otio cares, doloris affectum elice in tuo animo, prout tua tibi devotio suggerit; vel recita communem illam *formulam contritionis*, quæ passim reperitur in libris spiritualibus, hunc scilicet in modum. (h) *Domine mi JESU Christe, verus DEUS, & verus homo, Creator, & Redemptor meus, doleo*

ex

(g) Vide suprà pag. 7. 8. 9. (h) Horol. piarum. action. praxi. 13.

ex toto corde, quòd te offenderim, quia tu es DEUS meus, & te amo, super omnia; firmitérque statuo, nunquam posthac peccare, sed omnes peccandi occasiones devitare. Propono quoque peccata mea confiteri, pœnitentiam, quæ injuncta fuerit, exsolvere, & si quid alicui debeam, restituere. Amore etiam tui remitto injuriam à quocunque mihi illatam. Insuper, ad expianda peccata mea, offero Majestati tuæ vitam, labores, & bona opera mea universa. Ut verò humillimè peccatorum meorum remissionem efflagito, ita confido ab infinita bonitate tua per merita sanctissimæ passionis, sanguinis, & mortis tuæ, ea mihi remittenda, præstandam etiam gratiam, quâ vitam meam emendem, & in sanctissimo servitio tuo in finem usque perseverem, Amen.

VIII. Actum contritionis elicere potes aut statim in domo, finito examine, vel postea in templo,

juxta confessionale. (*i*) Cùm autem contritio sit magis utilis, & magis necessaria pars Sacramenti pœnitentiæ, plùs ei conatûs, plus laboris ac temporis impende, sed citra angorem animi, & scrupulosam solicitudinem. (*k*) Certè minùs bene sibi consulunt, Deóque minùs satisfaciunt, qui peccatorum recordationi longam, & sollicitam impendunt operam, dolori verò de peccatis non nisi brevem ac perfunctoriam curam; sic enim multum efficaciæ demitur Sacramento confessionis, multum amittitur de merito satisfactionis, & multum impeditur fructûs emendationis. Interim tamen noli tristari vel angi inutili mœrore, (*l*) si nullo interiùs te sentias tangi dolo-

(*i*) Gaudier. p. 5. de perf. nat. & caus. s. 11. c. 14. (*k*) Veron. in man. Sod. cap. 4. p. 1. §. de necessitate. (*l*) Brunus de Sacrament. pœnit. de 1. part. pœnit. §. unde sequitur.

dolore sensibili; hic enim dolor sensibilis, licèt haud sit contemnendus, si possit haberi, nunquam tamen anxiè est quærendus ab iis, qui volunt confiteri. (*m*) Si tuum tibi ex animo displicet peccatum propter DEUM super omnia dilectum, jam habes verum dolorem, córque contritum & humiliatum, licèt nulla ex oculis prosiliat lachrima, nulla ex præcordiis erumpant suspiria, & nullâ pectus stringatur angustiâ.

IX. Ille, qui verè ac seriò dolet de suis peccatis, (*n*) hoc ipso etiam propositum habet emendationis, licèt hoc neque cogitet corde, neque pronunciet ore. Sicut enim calor continetur in igne, sic propositum includitur in contritione: & verò vix posse videtur fieri, ut quis eodem tempore malitiam exe-

(*m*) Suarez. tom. 4. d. 10. s. 2. (*n*) Ludovic. de Ponte. 2. de perf. tract. 3. cap. 3. §. 1. num. 2.

execretur præteritam, & simul amplectatur futuram, atque adeo, dum nollet offendisse. (*o*) Deum anteà, velit eundem offendere postea. Hinc, doctorum judicio virorum, sufficit ad valorem Sacramenti elicere dolorem explicitum cum *virtuali* seu implicito proposito se emendandi: (*p*) nihilominus utilis eorundem doctrina est, ut quivis peccata sua confessurus conetur *formale* etiam atque expressum propositum habere, per illud enim devotio fit major, contritio melior, confessio purior, remissio certior, emendatio firmior.

X. Nunc denique, postquam dolorem elicuisti cum proposito te emendandi, *vade, atque ostende te Sacerdoti*: (*q*) dum autem ingrederis confessionale, tres tecum virtutes, ceu comites, assume,

Mode-

(*o*) Salutius. 1. p. port. salut. cap. 3. (*p*) Gaudier. pars. 5. de perf. nat. & caus. s. 11. cap. 14. (*q*) Matth. 8. 4.

Modeſtiam nimirum, *patientiam*, *& humilitatem.* (*r*) Sic igitur eſto patiens, humilis, & modeſtus, ut nec Confeſſario, nec aliis ad confeſſionale adſtantibus ſis moleſtus. Permitte eos priùs intrare ante te, qui citiùs, quàm tu, venerunt ad confeſſionale, ut hoc modo ſervetur ordo, & æquitas illius regulæ: *Qui prior eſt tempore, prior eſt jure.* (*s*) Neminem trude, & ſi fortè trudaris ab alio, patientiam habe. Si quis importunè ſe ingerat, ut te poſſit prævenire, ne ei reſiſtas, ſed cede libenter, ac viam pande; plùs tibi proderit hæc mitis ac patiens charitas, quàm ſi quatuor aut quinque faceres diſciplinas. (*t*) Si ſis armatus, priùs arma, quàm confitearis, depo-

 ne;

(*r*) Sotus. in method. conf. p. 1. §. Quæ inter. (*s*) Gaudier. p. 5. de Perf. nat. & cauſ. ſ. 11. cap. 12. §. Ac primò. (*t*) Amuſſis conſcient. in fine §. diſem zu wider.

ne; non enim decet reum cum armis adire tribunal judicis. (u) Denique ſic tuum accede Confeſſarium, ut in ejus perſona agnoſcas DEUM; eum honora non tantùm interiore corporis geſtu, ſed etiam, & multò magis, interiore cordis affectu.

CAPUT II.

De agendis in Confeſſione.

I.

IN labiis ſapientis invenitur ſapientia. (x) Per *labia ſapientis* intelligo verba peritè confitentis, qui ſuam in eo commonſtrat ſapientiam, quòd omnia ritè, atque ordine diſponat, ita, ut Confeſſionem ſeu narrationem peccatorum bene *inci-*

piat,

(u) Alvarez. tom. 2. de fug. peccat. lib. 2. pag. 2. cap. 6. & 7. (x) Proverbior. 10. 13.

piat, aptè *continuet*, & rectè *concludat*: quâ triplici in re continetur omne id, quod in ipsa faciendum est confessione.

II. Cùm ergo Confessionale ingressus fueris, (*y*) provolutus in genua, erectóque in cælum animo, dicit. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Amen. Benedic Pater. Confiteor DEO omnipotenti, beatæ MARIÆ semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro, & Paulo, omnibus Sanctis, & tibi Pater: quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere: speciatim autem ab ultima confessione, quam ante N. dies peregi, me accuso* &c.

III. Hìc unum alterúmve est animadvertendum. *Primò*, Verba illa, *Benedic Pater*, posse omitti sine ullo scrupulo, si benedictio jam data est, aut reipsa datur à Confessa-

(*y*) Thesaur. precum. lib. 4. cap. 6. §. Confessarium.

fessario: nemo enim solet illud postulare ab alio, quod reipsa accipit, vel jam accepit defacto. (z) *Secundò*, in magno pœnitentium concursu prudentiùs fieri, si, sublatâ omni aliâ prolixitate, brevissimè dicas, hoc modo. *Reverende Pater, accuso me de peccatis ab ultima confessione commissis, quam peregi ante N. dies* &c.

IV. Postea subjunge Confessionem, (*a*) seu Narrationem peccatorum tuorum, aut eam dicendo ex memoria, vel illam legendo ex charta. Faciem verò noli obvertere directè versus vultum vel aurem Sacerdotis, sed parum obliquè contra angulum confessionalis. Pronunciatio autem sit clara, vox moderata, dictio non affectata. Confitere veraciter, atque integrè,

(z) Sucquet. in via vit. æternit. lib. 3. t. 10. de conf. prax. 6. (*a*) Gaudier. p. 5. de perf. nat. & caus. s. 11. cap. 12. §. Secundo hic & c. 14. toto.

grè, humiliter ac modestè, sapienter & cordatè. (b) *Effunde, sicut aquam, cor tuum*, ut nihil in eo remaneat, quod est perversum: erubesce propter commissa peccata, ita tamen, ut non sileas erubescenda: sic amove omne, quod est redundans seu superfluum, ut nihil omittas, quod est conveniens ac necessarium. Coram Sacerdote taliter temetipsum accusa, atque humilia, ut te accusando non excuses, téque humiliando non superbias. (c) Cave inanes scrupulos, & falsos errores intellectûs, sed multò magis perversos fines, & vitiosos affectus: turpe enim est, ac valde indecorum, rem adeò sacram & divinam per obliquam seu malam intentionem profanare.

V. Sunt, qui certum aliquod *paradigma Confessionis* expetunt, seu forma-

(b) Thren. 2. 19. (c) Alvarez. tom. 2. p. 1. de fug. peccat. c. 7. §. 2.

formulam quandam pro facili directione, quâ doceantur, ita peritè atque ex arte sua peccata confiteri, ut in suorum narratione delictorum possint servare rectum ordinem, certámque dispositionem verborum; sed horum satisfacere petitioni ex multis capitibus est admodum difficile, eò quòd hominum conscientiæ, perinde ac naturæ, sint valde dispares, ac diversæ, atque adeò fieri vix possit, ut, quod uni congruit, aut placet, etiam aliis sit gratum, aut consentaneum: unde, sicut imprudenter is ageret, qui vestem unius formæ vellet cunctis aptare corporibus, sic planè desiperet ille, qui unam eandémque formam confessionis conaretur omnibus præscribere hominibus. Accedit, quòd tanta non modò peccantium, sed etiam peccatorum in specie & numero sit varietas, ut illa omnia angustis verborum cancel-

cancellis velle complecti, videatur insana quædam esse temeritas. Profectò experientiâ constat, eam à plerisque servari methodum confitendi, cui longo illi usu ferè sunt assueti. Et verò, si ulla alia in re, hìc planè sua homini relinquenda est libertas, ut ita de modo loquendi non multùm solicitus rem ipsam promat sincerè, prout latet in fundo conscientiæ: nemo etenim potest accuratiùs suorum vulnerum indicare qualitatem, quàm ille ipse, qui in seipso eorum sentit acerbitatem.

VI. Nihilominus ut tuæ sive curiositati satisfaciam, sive consulam utilitati, exhibeo tibi breve quoddam *paradigma confessionis.* Arsenius literarum studiosus & Sodalis B. MARIÆ Virginis ab octiduo confitetur in hunc modum. *In nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti, Amen. Benedic Pater. Confiteor Deo omni-*

omnipotenti &c. Quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere; ſpeciatim autem ab ultima confeſſione, (quam ante octo dies peregi) me accuſo. Sub oratione voluntariè diſtractus fui, quotidie bis vel ter. Temerè alium judicavi in re levi, bis. In rebus meis vanam complacentiam habui, quater plùs minùs. Impatiens fui aliquoties. Cogitationes impuras habui ſemel, dubito, an iis negligenter reſtiterim. Alteri ex indignatione convitia dixi, octies aut ſæpius. Juravi ex conſuetudine, non autem falsò, ter aut quater. Mentitus ſum ſine alterius damno ter. Proximo detraxi ſemel, dubito, an graviter. Garrivi ſub ſacro ter; in ſchola ſæpiùs. Otio tempus conſumpſi aliquoties. Nimis effusè riſi, ſæpe. Feriali die neglexi ſacrum, ſemel. Nimis avidè comedi, & bibi, quater plùs minùs, æquo largiùs, bis vel ter.

Fura-

Furatus ſum rem valentem duos crucigeros. *De his & omnibus aliis peccatis meis, quorum non recordor, dico meam culpam &c.*

VII. In hoc *paradigmate confeſſionis* hæc poteris Amice Lector, obſervare, *Primò*, ſervari ordinem cogitationum, verborum, & operum. *Secundò*, ſpeciem cujuslibet peccati clarè exprimi. *Tertiò*, Circumſtantias quoque, præſertim (in materia aliàs gravi) minuentes adjungi. *Quartò*, certa pro certis, dubia pro dubiis explicari. *Quintò*, Numerum ſive certum, ſive probabilem, ſive dubium fere ubique adjungi, *Sextò*, præter peccata etiam quasdam imperfectiones enarrari. *Septimò*, nullum hìc afferri peccatum mortale, quod ſit certum atque indubitatum: credo enim Arſenium talem eſſe adoleſcentem, qui mallet millies mori, quàm unam committere noxam lethalem.

thalem. Si quis tamen (quod Deus avertat) inciderit in unum aut plura peccata mortalia, ea utique diligentissimè in confessione sunt dicenda.

VIII. Confessio seu Narratio peccatorum hac vel simili clausulâ potest terminari. (d) *De his & aliis peccatis meis, quorum non recordor, dico meam culpam, meam culpam, meam maximam culpam. Ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos, Petrum & Paulum, omnes sanctos, & te Pater, orare pro me ad Dominum DEUM nostrum. Petóque salutarem pœnitentiam & absolutionem.* In magno pœnitentium accursu, dic breviùs hoc modo. *De his, & omnibus peccatis meis, quorum non recordor dico meam culpam, petóque salutarem pœnitentiam & absolutionem.* (e) Hic meritò culpandi sunt. *Primò* illi, meri-

(d) Horolog. piarum actionum. praxi 13. (e) Amussis conscient. p. 25.

qui, poſtquam ſua peccata narrâ-runt, ad finem narrationis hujus, nihil omnino addunt, ſed ſolo ſi-lentio volunt indicare, ſe ſuam confeſſionem abſolviſſe. Sed un-de, obſecro, poſſum ſcire, hoc tuum ſilentium oriri potiùs ex de-fectu materiæ, quô cogeris abrum-pere confeſſionem, quàm ex co-natu memoriæ, quô niteris expel-lere oblivionem? *Secundò*, digni ſunt reprehenſione, qui tali utun-tur clauſulâ confeſſionis, cui nihil prorſus ineſt artis, nihil ſucci, ni-hílque pietatis, dum nimirum bre-viter ſuorum narrationem peccato-rum hunc ferè terminant in mo-dum. *Dixi. Abſolvi. Nil ultrà occur-rit. Jam ſatis. Nihil amplius. Et hæc de his &c.* Profectò cruda ſunt hæc, & nimis quàm luculenta cor-dis indevoti indicia.

IX. Si Confeſſarius intra vel poſt narrationem peccatorum te allo-qua-

quatur, (*f*) aut inquirendo aliquid, quod est necessarium, aut aliquid, quod est proficuum, proponendo, ausculta eum patienter ac benevolè, responde ei prudenter atque pacatè. (*g*) *Audi tacens*, & noli loquentem interpellare, sed cùm *interrogatus fueris*, *habeat caput responsum tuum*. (*h*) Si verò ipse quid habeas, quod ei dicendum esse judicas, differ id, si fieri possit, ad finem confessionis: noli autem tunc nimis esse prolixus, ne sermone minùs utili ac necessario molestiam parias tam circumstantibus, quàm Confessario, (*i*) Deinde si tibi à Sacerdote injungatur pœnitentia, eam grato animo auréque attentâ percipe. Sub ipsa verò absolutione hæc aut similia verba

(*f*) Ludovicus de Ponte. tom. 1. de perf. t. 3. cap. 9. §. 2. ad finem. (*g*) Eccli. 32. 12. (*h*) Salutius. in 1. part. port. sal. cap. 39. (*i*) Alvarez. de vita relig. instit. sect. 3. cap. 1.

verba dic animo, vel ore. (*k*) O JESU DEUS *cordis mei, quàm bonus fuisti erga me, quàm ingratus ego erga te! Ignosce, & propitiùs esto mihi misero peccatori. Doleo purè propter te, quòd unquam offenderim te infinito amore, honore, obsequio dignissimum. En nunc paratum cor meum ad omne beneplacitum tuum. Lava me in sanguine tuo à peccatis meis, & super nivem dealbabor &c.*

X. Denique, quando Confessarius tibi annuit capite, aut etiam dicit: (*l*) *Vade in pace*, surge & ambula in nomine Domini, nunc liber ab onere, & sarcina peccati: Priùs autem, quàm illinc abeas, da (si ita moris est) signum seu schedam confessionis. Eámque non clausam, sed apertam in testimonium tuæ sinceritatis.

(*k*) Horolog. piarum. action. praxi. 13. (*l*) Amussis conscient. part. 24. §. Nach empfangener Absolution.

tis. (*m*) Noli autem (quod aliqui ſolent) poſt egreſſum tuum Confeſſario porrigere manum; huic enim corporali cæremoniæ parum ineſſe videtur virtutis ac decentiæ. Da Chriſto potius, quod negas Confeſſario, hoc eſt, puras ad Cælum tende manus & DEUM adora in *Spiritu & Veritate.*



CA-

(*m*) Eadem Amuſſis. lib. cap. §. Iſt aber hie gar ein.

CAPUT III.

De agendis post Confessionem.

I.

POst lachrimationem & fletum, exultationem infundis, (*n*) hoc est, pacem conſcientiæ, ſolatium animæ, augmentum virtutis, promptitudinem voluntatis tribuis ad tria potiſſimùm præſtanda. *Primò*, ut debitas quis agat gratias pro beneficio datæ abſolutionis. *Secundò*, ut ritè perſolvat opera injunctæ ſatisfactionis. (*o*) *Tertiò*, ut ſedulò exequatur negotium propoſitæ emendationis. Hæc enim tria requiruntur ab omni peccatore, qui ſuorum peccatorum remiſſionem obtinuit in confeſſione.

II. Multùm olim diſplicuit Chri-

R ſto

(*n*) Tob. 3. 22. (*o*) Theſaur. precum. lib. 4. cap. 7. §. Poſt Confeſſionem.

ſto vitium ingrati animi in illis, quos ſanârat, (p) *viris leproſis*, eò quòd, pro acceptæ ſanitatis beneficio neglexerint, ſe gratos exhibere ſuo medico. *Nonne decem mundati ſunt*, dicebat Chriſtus, *& novem ubi ſunt? Non eſt inventus, qui rediret, & daret gloriam* DEO, *niſi hic alienigena.* (q) Cave, ne & tu quoque ſimilem merearis exprobrationem, ſi fueris negligens in agendis gratiis poſt confeſſionem. Quam primùm ergo egrederis è loco confeſſionis, carmen incipe divinæ laudationis, dicendo per ternas vices pſalmum illum, *Laudate Dominum omnes gentes*: (r) ſemel DEO Patri, pro habita contritione; ſemel DEO Filio, pro facta confeſſione; & ſemel Spiritui Sancto, pro accepta abſolutione.

III. Dein-

(p) Luc. 17. 18. (q) Gaudier. p. 5. de perf. nat. & cauſ. ſ. 11. cap. 13. §. Denique. (r) Pſal. 116. 1.

III. Deinde, si lubet, hanc aut similem subjunge orationem vel ex memoria, (s) vel ex libro aliquo desumptam. *Sit tibi, Domine, obsecro, meritis sanctissimæ passionis ac mortis tuæ, & Beatæ MARIÆ semper virginis ac Matris tuæ, ac omnium Sanctorum, grata & accepta ista confessio mea, & quidquid mihi defuit nunc, & aliàs de sufficientia contritionis, de puritate, & integritate confessionis, suppleat pietas & misericordia tua, & secundum illam digneris me habere pleniùs, & perfectiùs absolutum in cælo. Da mihi ex nunc integram, & puram mentem, simplex & rectum propositum, ut sanus factus non amplius peccem, ne deterius mihi aliquid contingat, sed potiùs (quòd unicè cupio) ut nihil deinceps in tota vita mea quæram aut cupiam, nisi quod animæ meæ sit utile, ac Divinæ Majestati tuæ imprimis placeat, Amen.*

IV. Pœnitentiam injunctam pri-

(s) Horolog. piarum. action. pr. 13.

mâ ſtatim, quâ potes, occaſione perſolve, (*t*) ſiqne fortè *ſeptem Pater & Ave* ſunt oranda, noli differre illa in tempus aliud vel locum, ſed priùs, quàm templo egrederis, exſolve debitum. (*u*) Poſtea dum præparas te ad ſacram communionem, vel poſtquam epulo refectus es cæleſti, recole illa iterum propoſita, quæ ante confeſſionem habuiſti; firmiter nimirum ſtatuendo, vitam poſthac ſanctam, atque immaculatam ducere, ita, ut ſtabiliter velis non modò nullum deinceps committere peccatum mortale, aut veniale cum plena deliberatione, ſed etiam omnem imperfectionem, quantùm humano ſtudio fieri poteſt, evitare. Hoc autem propoſitum magis inniti debet meritis Chriſti, Déique miſericor-

(*t*) Alvarez. tom. 2. p. 1. lib. 1. c. 13. §. Abſolutione ſuſcepta. (*u*) Gaudier. p. 5. de perf. nat. & cauſ. ſ. 13. cap. 11. §. Tertiò demum.

cordiæ, quàm tuis viribus, ac propriæ industriæ. (x) Summopere DEO placet fortis ac generosa resolutio animi, sed multò magis eum oblectat solers & constans executio propositi. (y) *Non enim omnis, qui dicit mihi*, ait Dominus, *Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.* Propositum sine executione est, sicut herba sine flore, nubes sine imbre, fulgur sine fulmine. Homo item, qui multa pollicetur, & pauca exequitur, similis est viti seu arbori, quæ floribus abundat in principio, fructibus caret in autumno.

V. Age igitur, ô Homo, atque *esto fidelis* Domino DEO tuo. (z) Si pios illi promisisti mores, vitámque sanctam, serva fidem illibatam, neque amplius muta hanc men-

(x). Insinuationes divin. piet. cap. 15.
(y) Matth. 7, 21. (z) Apoc. 2, 10.

mentem. Custodi mandata, & fuge peccata, (a) *disce benefacere, & quiesce agere perversè*, nam opera, quæ bene fiunt, actiones perversas excludunt, ut adeò nullum æquè potens remedium sit adversus scelera & vitia, quàm bona opera & sancta exercitia. Si bonâ præditus es voluntate, non indiges multâ instructione: Nam lex interna & spiritus ille, qui est intra te, docebit ac monebit te, ut scias, & facias omnia, quæ sunt pro salute animæ tuæ. Nihilominus, si tibi gratum est, uti haud dubiè erit, pauca quædam adjungam documenta, quæ magna poterunt ad vitam meliorem præstare subsidia.

VI. Ante omnia igitur pietatis studia solerter cole, (b) constanter tene, & nunquam intermitte. Per *studia* autem *pietatis* intelligo frequentem usum orationis, meditatio-

(a) Isai. 1. 16. S. Doroth. ser. 12. de timore futuri cruciatus.

ditationis, confessionis, communionis, sacræ lectionis, quotidiani examinis &c. Stata quædam, & nunquam interrupta devotio est potens ac valida lubricæ ætatis refrænatio. Tunc sanè periclitatur Juvenum integritas, certúmque incurritur ab iis discrimen salutis, cùm cæpta deseritur pietas, & solita negliguntur exercitia virtutis. Frequens oratio est potens munitio contra omnem hostis assultum. Si manseris in hoc castro, semper eris in tuto, nullúmque patieris detrimentum. Confessio medicina est, & sacra Communio cibus; his ergo indiges, sive sis æger, sive sis sanus; si respuis escam, patieris infirmitatem; si negligis medelam, incurres animæ mortem: sine sacra communione deficies in via virtutis, sicut debile mancipium sub gravi onere: sine crebra confessione conputresces in tuis pecca-

tis, sicut vile jumentum in suo stercore. Quod splendor solis est in cælo, & calor ignis in mundo, hoc sacra est lectio, & pia meditatio in nostro animo: nam lectio spiritualis expellit tenebras mentis, & fervens meditatio nos replet igne divini amoris.

VII. Non tantùm à peccato, (c) sed etiam à peccandi occasione, *quasi à facie colubri fuge.* Si tibi hujus vel illius personæ nocuit consortium, declina illam haud aliter, quàm hostem infensissimum, melius enim tibi est, sine illa venire ad cælum, quàm cum illa intrare infernum. Si tibi cladem intulit cibus copiosus, aut potus immoderatus, aut tactus incautus, aut curiosus aspectus &c. Mortifica imposterum gulam, moderare appetitum, contine manus, refræna oculos &c. Satius enim est, te modicâ & brevi privari voluptate, quàm

(c) Eccli. 21. 2.

quàm turpi flagitio grandíque fœdari crimine. Nunquam ex toto sis otiosus, sed semper habeas aliquid, quod agas: id autem, quod agis, sic ut agas, cura, ut ipsa actio melior sit actionis carentiâ, hoc est, ut actio sit utilis, sit honesta, sit gloriosa DEO, non damnosa proximo.

VIII. Denique si juvenis es, (*d*) si gravès tentationes habes, si malos contraxisti habitus, si versaris inter pericula *in medio nationis pravæ*, audi me, & sequere consilium meum: polliceor tibi: fructum illius experieris, & post factum non pœnitebis. (*e*) Quære tibi *virum prudentem*, *doctum*, *ac pium*, ad quem in omni negotio salutis habeas recursum: huic temetipsum crede, huic animum tuum pande, huic omnia tua committe: hujus seque-

(*d*) Cassian. collatione. 2. cap. 10.
(*e*) Alvarez. tom. 2. lib. 1. p. 1. cap. 13. §. His tribus.

re ductum, amplectere consilium, nutúmque per omnia haud secus imple, quàm si DEUM ipsum audires loquentem, Christum monentem, vel Angelum præcipientem: verissimè enim quivis Confessarius, aut alius vir sanctus Christi est interpres, DEI vicarius, ac curiæ cælestis legatus, juxta illud æternæ veritatis oraculum. (*f*) *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.*

IX. Ut mea doctrina tibi sit magis utilis, atque expedita, quatuor tibi solerter sunt observanda. (*g*) *Primum est*, ne credas, tibíque persuadeas, satis esse, si tali viro sæpius, aut etiam semper confitearis, eíque, dum confiteris, aperias morbum tuum, quô gravaris, & periculum, in quo versaris: nam licèt hæc manifestatio sit utilis, imò quandoque necessària ad bonam & inte-

(*f*) Luc. 10. 16. (*g*) Ludovicus. de Pont. tom. 3. t. 6. c. 23.

integram confessionem, non tamen semper efficax atque sufficiens est ad plenam, & perfectam curationem. Dum enim illi peccata tua confiteris, plerúmque deest, aut mora temporis, aut locus habilis, aut apta dispositio mentis, non tuæ tantùm, sed ipsius etiam Confessarii, ut qui longâ fatigatus auditione confessionum, jam fortè non est paratus ad dandum tibi consilium; aut, si paratus est, ignorat, aut certè est dubius, quânam ratione tuum curandum sit vulnus; an illud, quod præsto est, malum, duram requirat, an mollem manum? unde satius esse judicat, nunc manum elevare ad dandam absolutionem, quàm morbum exulcerare per importunam admonitionem. Profectò diutiùs retinere pœnitentes in confessionali citra necessitatem, fere semper secum afferre solet aliquam incommodi-

moditatem, tum iis, qui ſoris adſtant ob moram exſpectationis, tum iis, qui intus hærent, ob anſam ſuſpicionis. (*b*) *Alterum eſt*, quod ex priore ſequitur, ut nimirum non tantùm intra, ſed etiam extra confeſſionem agas cum tali viro, qui te in rebus ad conſcientiam ſpectantibus juvare poſſit, ſciat, ac velit. Vade ultrò ad eum, neque exſpectes, donec voceris ab eo; non enim ſolent prudentes Confeſſarii eos ad ſe vocare pœnitentes, quorum neceſſitates ex ſola agnoſcunt confeſſione; & verò cùm tua, non illius, res in hoc negotio geratur, nónne æquum eſſe videtur, ut is potiùs quæratur à te, quàm tu ab illo? Quare, ſi te amas, tuámque ſalutem, vince teipſum, & curre ad eum, ſicut ovis ad paſtorem, cùm videt lupum; ſicut æger ad medi-

(*b*) Grombecius lib. 2. de ſtudio perf. cap. 32. §. Collationis quæſtio prima.

medicum, cùm timet mortem; sicut filius ad patrem, cùm fugit latronem. Cùm autem ad eum veneris tractaturus de rebus conscientiæ, ante omnia tolle sigillum confessionis: nam sine concessâ licentia loquendi de tuis peccatis, altùm de his silebit Confessarius, prudentérque omnia dissimulando, te denique permittet abire sine sperato adjumento.

X. *Tertium est* multâ dignum observatione, (*i*) ut scilicet hac in re nolis tractari à Patre tuo spirituali, sicut infans à nutrice, aut puer delicatus à sua matre; ita, ut velis, ab eo teneriùs amari, blanditiis mulceri, munusculis foveri, encomiis ornari; hæc enim puerilia sunt, & carnem magis, quàm spiritum olent. Qui seriò suam appetit salutem, auxilium debet quærere, non solatium; sanitatem, non voluptatem; gratiam divinam, non glo-

(*i*) S. Bern. serm. de convers. S. Pauli.

gloriam humanam: quare contentus esto, quomodocunque tracteris ab eo: Si se mitem exhibeat tibi, atque benignum, tali te reputa charitate indignum, eíque repende pro favore amorem, pro benevolentia reverentiam: si verò se serium tibi ac severum ostendat, cave, ne te vel ira, vel tristitia conturbet, sed cogita, hanc ejus inclementiam, spiritualem quandam esse prudentiam, quæ tibi plurimùm prodesse poterit, si fortis in te & constans patientia fuerit. (*k*) *Quartum est*, atque ultimò hìc observandum, ne facilè illum, quem semel elegisti, deseras Confessarium, sed ejus constanter utaris operâ, donec aliud aut necessitas, aut valde urgens suadeat causa. Ipsius hoc Spiritûs Sancti est consilium, qui per Ecclesiasticum sic loquitur. (*l*) *Amicus fidelis*

(*k*) Ludovicus. de Ponte. tom. 1. de perf. tract. 3. cap. 8. §. Ex his colligitur. (*l*) Eccli. 6. 14.

delis protectio fortis; qui autem invenit illum, invenit thesaurum. (m) *Amico fideli nulla est comparatio, & non est digna ponderatio auri, & argenti contra bonitatem fidei illius.* (n) *Amicus fidelis medicamentum vitæ, & immortalitatis, & qui metuunt Dominum, invenient illum.* (o) *Ne derelinquas amicum antiquum, novus enim non erit similis illi.* Unde, si tibi fortassè incidat, te modicum aut nullum ex ejus directione percipere fructum, hanc abige cogitationem, ceu malam Dæmonis suggestionem, qui tuo profectui, tuisque commodis invidet, téque omnibus modis tam valido præsidio exuere studet: & sanè, non potest non esse ingens virtus, magnique opus meriti, si se propter DEUM homo subjiciat homini, si violentiam inferens propriæ naturæ, suam alteri conscientiam aperiat sincerè, si suam agnoscens

(m) Vers. 15. (n) Vers. 16. (o) Eccli. 9. 14.

ſcens fragilitatem generoſam hac in re exerceat humilitatem, ſi noxium vincens pudorem fateatur ultrò commiſſum errorem. Et hoc eſt, quod ſancti Patres, quod ſacræ literæ, quod omnes Magiſtri ſpiritûs docent, jubent, ac monent. Omiſſis aliis, audi, quid dicat ſanctus Spiritus. (p) *Melius eſt, duos eſſe ſimul, quàm unum: habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ.* (q). *Si unus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ ſoli, quia, cùm ceciderit, non habet ſublevantem ſe:* (r) *& ſi quiſpiam prævaluerit contra unum, duo reſiſtunt ei:* (s) *funiculus triplex difficilè rumpitur. Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius ſit tibi unus de mille.* (t) *Cum viro ſancto aſſiduus eſto, quemcunque agnoveris obſervantem timorem DEI,* (u) *cujus anima eſt ſecundum animam tuam & qui, cùm titubaveris in tenebris, condolebit tibi*

(p) Eccle. 4. 9. (q) Vers. 10. (r) Vers. 2. (s) Eccli. 6. 6. (t) Eccli. 37. 15. (u) Vers. 16.

tibi. (x) Si possides amicum in tentatione, posside eum. (y) Anima viri sancti enunciabit aliquando magis *vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. (z) Et in his omnibus deprecare altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.*



PAR-

(x) Eccli. 6. 7. (y) Eccli. 37. 18.
(z) Vers. 19.



PARTITIO LIBRI.

PARS. I.

De Præparatione ad Confessionem.

PARS II.

De Confessione, seu narratione peccatorum.

PARS

PARS III.

De proprietatibus bonæ confessionis.

PARS IV.

De pœnitentia & satisfactione pro peccatis.

PARS V.

De aliis rebus ad Sacramentum pœnitentiæ spectantibus.

PARS

PARS VI.

De peccatis, & imperfectionibus.

PARS VII.

De motivis dolendi de peccato mortali.

PARS VIII.

De motivis dolendi de peccato veniali.

Cap.

PARS IX.

De motivis dolendi de imperfectione.

PARS X.

De agendis, ante, in, & post confessionem.

FINIS.





